





DISSE<sup>R</sup>TATI<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**BVLIMIA**  
SEV  
**NIMIA CIBORVM**  
ADPETENTIA,

QVAM  
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAE<sup>S</sup>IDE  
DOMINO

**D. ANDREA ELIA BVCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIO<sup>S</sup>OR. PRAE<sup>S</sup>IDE  
ET COMITE PALAT. CAESAREO,  
FACVLT. MED. H. T. DECANO SPECTATISSIMO,

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS


AD D. APRIL. A. S. R. MDCCXLVII.

PVLICE DEFENDET

AVCTOR

**MARTINV<sup>S</sup> CHRISTIANVS NIEFELD**  
NAVENSIS MESO - MARCH.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.





DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**BVLIMIA**  
SEV  
NIMIA CIBORVM ADPETENTIA.

PROOEMIVM.



Si quicquam est, quod Medicinae, potissimum practicae, incrementa adferre valet maiora, certe est perspicua & dilucida explanatio eorum symptomatum, in plurimis morbis obuiorum, quae etiam nunc craffis occultata & circumfusa tenebris deprehenduntur. Quis enim est, quem praetereat,

A 2 patho-

pathologiam, veris certisque principiis subnixam, Medico viam ad tutissimam & felicissimam suae artis exercitationem monstrare? qua qui destitutus, vel certe medio-criter tantum instructus, in vastissimo scientiae medicae campo necessario a recto tramite saepius declinabit, inque latebrosa opinionum atque errorum auia defleget, vnde ipsi ad rectam veritatis viam reuertendi vix vlla spes ostendetur. Morborum quippe scientia omnium praecipue ista ponit fundamenta, quibus rationalis praxis est superstruenda. Quae animo mecum volutans, argumentum quoddam ad Disputationem inauguralem elucubrandam selecturus, commemorabile illud symptoma, pluribus iisque diuturnis, seu chronicis morbis commune, quod *Bulimus*, siue *Bulimia*, in Medicorum scholis usurpari solet, mihi occurrit, id quod tanto lubentius suscepimus explanandum, quanto creibius ego illud variis aegrotis, qui in celebrissimo illo nosodochio, quod Berolini est, decumbebant, accidisse obseruavi.

Non

Non possum negare, me de ingenti hoc ciborum desiderio, quo eiusmodi aegrotantes flagrare solent, perplures, qui de morbis aliquid memoriae voluerant proditum, consuluisse; sed, si verum dici fas est, non reperi, qui mihi satisfecisset: namque ferre omnes, tam antiquiores, quam recentiores, si a quibusdam recentissimorum discesseris, vno velut animo & voce vna insignem istam comedendi auiditatem accidæ cuidam amurcae, quam in stomacho ferunt reconditam, adscribunt. Quoniam vero mihi licuit, praeeuntibus Viris, ab omni laude felicioribus, Illustri BVDAEO & beato CASSEBOHMIO, anatomes Professoribus, inter praecipua nostri seculi ornamenta numerandis, in theatro anatomico Berolinensi cadaueribus humanis scienter & artificiose dissecandis manus admouere, intellexi, dirissimi huius morbi rationes multo faciliores atque explicatores ex principiis mechanico-hydraulicis, quam ex physico-chemicis, reddi posse. Quapropter periculum mearum virium,

A 3                    quid

PRO O E M I V M .

9  
quid ferre valerent quidque recusarent, fa-  
cturus, hunc voracitatis morbum peculia-  
ri Dissertatione dignum iudicauit; non qui-  
dem eo animo, quasi tot tantorumque  
Virorum, de re medica optime merito-  
rum, sententias, quibus imbuti fuerunt,  
parui aut nihili facerem, mihiique singula-  
rem scientiam inani persuasione arroga-  
rem: sed solummodo ea mente, vt qua-  
liaunque mea placita aliis, me multo &  
prudentioribus & doctioribus, relinque-  
rem expendenda & diiudicanda. Deus  
T.O.M. fortunet nobis hunc nostrum la-  
borem, vt in salutaris scientiae incremen-  
ta, proximi aegrotantis salutem & sui  
ipsius gloriam cedat!



§. I.



§. I.



DE immodica ista ciborum cupiditate, in variis subinde, praesertim longinquis, seu ita dictis chronicis, morbis obuia, *bulimum* quam vocant, expositurus, non iniucundum fore duco nec ab instituto alienum, leuiter duntaxat attingere prius, quam ad ipsam rem explicandam ingredior, vnde vocabulum βελυμα, vel, si magis arriserit, βελυμς, natales suos mutuetur. Pleisque etymologis persuasum est, deriuari illud a graecis vocibus βεη, quod *bouem* significat, & λιψς *fames*, quasi esset *fames bouina*: aliis vero, qui huius nominis sensum exactius aestimarunt atque examine perpenderunt exquisitiori, illud a particula βεη, significationem augendi atque intendendi habente, & λιψς, deducunt. Namque PLUTARCHVS, HOLLERIO teste (a), in *Symposiacis* βεη idem denotare scribit, quod πολυ, quasi sit πολύλιψς, i.e.

*multa*

(a) de morb. intern. Libr. I. cap. 34. Schol pag. 151.

*multa vel nimia fames.* At vero, per me arcessat, vnde velit, aliquis huius vocabuli originem, id mihi perinde erit, ego enim certe nemini de verborum inanibus dicam sum scripturus, verum ea Criticis, me magis litteratis, & diiudicanda & dirimenda relicturus; tametsi haud abnuero, posteriorem τε βέλμου deriuationem mihi videri priore multo ve- riorem magisque natuam.

## §. II.

Missa igitur & seposita βελμος ὀνοματολογία, vt quae minimi, si forte vlli, ad ipsam rem, mihi hac Dissertatione excutiendam, videtur esse momenti; satius erit dispicere, ecquid rei medicae proceribus vocabulo hoc veniat intelligendum? quippe quod morbo huic explicando maiorem & fructum & lucem spero allaturum. At vero quum bulimus, qui compluribus subinde morbis tanquam symptoma & indiuisus comes haerere obseruatur, peculiaris auctoritatis famis existat species; non vero eadem sit omnis immoderationis & vehementioris cibi appetitus ratio, dum aliud alio immoderatiorem comprehendimus & acriorem; praecepta vero logices postulent, definitionibus rerum, si usus fuerit, vt distinctiones, si quae sint, semper praestruantur: meum quoque censeo futurum esse, diuersas istas famis, modum excedentis, species, quae in medico foro receptae sunt atque visitatae, prius recensere, quam βέλμου definitum atque explicandum adgredior.

## §. III.

§. III.

Solenne vero medentibus est, edendi cupiditatem in vniuersum in sanam, seu naturalem, & in morbosam, vel, si malueris, praeternaturalem, distinguere, quam posteriorem iterum in famem vel nimis au&gt;ta, vel depravatam seu corruptam, despescere solent. Illa vim & molem, seu quantitatem comedendorum duntaxat attingit: haec vero solas eorum dotes, sive qualitates, respicit. Iam vero quum esurie, seu cibi adpetentia, intensior & praepter modum au&gt;ta, haudquaquam eiusdem, sed diversae animaduertatur esse indolis & naturae: hinc satis apposite eam denuo diuiserunt in βελιμίαν, seu βελιμίν, & κυνογείαν, sive κυνωδίη γέρεξν, quae canina etiam fames latino verbo alias cieri solet; quemadmodum corruptam famem, vbi a mortalibus insolita quaevis, & ab humano vsu aliena, quae nec esui sunt, dulcedine quadam singulari, ingeruntur, non inscite discernere consueuerunt in picam, seu cittam, & malaciam. Verum quum adpetentiae depravatio ad me non spectet, vtpote solius bulimi, qui immodicæ & nimiae famis est species, naturam hac diatribe duntaxat contemplaturum, de ea heic aliquid agi nihil attinet. Adpetentia igitur ista, quae naturalem modum excedit atque inexplicabilis fere est, mihi hoc loco solum inuestiganda relinquitur & perscrutanda, quae quum, vt iam paullo ante ostendi, in βελιμίαν & κυνογείαν, cuius vtriusque omnino multae differentiae obseruantur, disiungi adsoleat; mihi vero constitutum, istud morborum

B sym-

symptoma, quod βέλης nomine insigniri consueruit, praesenti dissertatione tantum declarare: nec νυνοεξις, seu caninae famis, heic pluribus meminisse necesse erit, nisi in quantum ostendi expediet, quae inter vtrasque communia sint, aut quemadmodum dissideant inter se atque discordent.

## §. IV.

Ante vero quam ad bulimi ingenium contemplandum deuenio, beneuolo Lectori videtur esse praecipendum, non eandem esse huius vocis apud omnes acceptiōnem. Antiquioribus enim, inter quos omnium praecipue GALENVS eminet, eam tam angustis includere placuit limitibus, vt tali nomine non aliam villam esuriei speciem cupierint comprehensam, quam quae vel ab externo frigore, simulque ex indigentia totius corporis stomachique imbecillitate oriatur, in quo etiam plerique rei medicea scriptores, qui superioribus fuerunt temporibus (*b*), quid? quod Auctores quidam nostrae aetatis (*c*), cum eo consentiunt. Propterea GALENVS bulimum ita definit, quod sic *adpetentia a frigiditate exteriore, ex indigentia totius corporis & imbecillitate stomachi, qui & refrigeratus nimium, & reficcatus est* (*d*): alibi pariter perhibet, bulimum esse esuritionem ex indigentia simul, imbecillitateque ac refrigeratione oris ventriculi nata (*e*). Verum enim vero quam ipsa huius vocabuli τὸ βέλης significatio,

(*b*) *Jacob. HOLLERIVS, Libr. & loc. cit. p. 150.* (*c*) *Iob. de GORTER, Exerc. med. Exerc. 3. §. 43.* (*d*) *Libr. I. ad Glauco.*  
(*e*) *Libr. I. de Symptom. caus. cap. VII.*

ficiatio, si eam interno suo valore sensuque recondito dijudicemus, tam latissime pateat, ut deriuatio-  
nis suae & compositionis beneficio, quam supra fu-  
sius dedi explicatam, magnam, seu ingentem quam-  
cunque ciborum denotet cupiditatem; praeterea  
quoque plurima sint in monumentis eorum, qui de  
morbis aliquid memoriae prodiderunt, obvia exem-  
pla, quibus abunde doceri potest, eiusmodi infatia-  
bile famem persaepe variis, iisdemque diuturnis,  
seu chronicis, morbis, qui neque algori, neque  
inopiae alibilis in corpore chyli, nec stomachi im-  
becillitati, sed longe aliis causis suam debent origi-  
nem, se se adiungere sociam, quemadmodum id ex  
posterioris dicendis liquidius adparebit; insuperque  
etiam iam cum superiore, tum maxime nostra me-  
moria, sint, qui eiusmodi audiissimam vorandi cu-  
piditatem, quae morbis quibusdam comes haeret,  
*βελημ* nomine insignire nulli dubitauerunt: nihil  
profecto nobis obstat, quo minus nimium istud ac  
fere inexplebile alimentorum desiderium, quo sub-  
inde aegrotos videmus flagrantes, *βελημ* nomine  
adpellemus.

§. V.

His itaque praemissis, quae ad *βελημ* δύοντα  
τολογιαν clarius intelligendam erant necessaria, con-  
ueniet quoque leuiter attingere illam notionem,  
quae bulimi voce continetur. Intelligimus autem  
per bulimum, *praeter naturale quoddam* & fere infa-  
tiabile esculentorum desiderium, *lipothymis* aliquan-  
do comitatum, sed nulla vomitione ab ingestis cibis fi-

B 2 patum.

*patum.* Nihil iam negotii erit, ex data hac bulimi definitione cognoscere, quid discriminis morbosae huic fami cum nativa ciborum intercedat adpetentia, quippe quae nec inexplibilis est, nec cum vlla animi defectione consociata. Neque difficile erit eundem a νυνοεξα, seu canina fame, discernere atque internoscere, quae, etiam si itidem immoderatior sit & vehementior edulium rerum adpetentia, in eo tamen a bulimia dissidet, quod cibos audiissime quidem deuorant, similiter atque in bulimo, sed eos paullo post crudos atque incoctos vomendo reiiciunt, vnde quum canum more, quae raptim & cupidissime vorata sunt, perpetuo reuomant aegri, sive leuati denuo esuriant, nouaque sese epulis ingurgitandi cupiditate vrantur & diuexentur, hic edacitatis morbus canini adpetitus nomine in Medicorum scholis fuit appellatus (*f*). Quae quum bulimo vsu euenire non obseruentur, quippe in quo alimenta adsumta non retinentur solum a ventriculo, sed iusto etiam solitoque citius digeruntur & conficiuntur: haud obscure indidem liquebit, bulimiam vtique a fame canina multum dissidere; tametsi non negem, vtrasque has affectiones, RIVERIO id adposite nec inscite monente, interdum inter se confundi & promiscue usurpari.

### §. VI.

Clarum quoque & perspicuum ex nostra βελιμίᾳ

(*f*) HOLLERIVS loc. cit. LOMMIUS Obseruat. med. Libr. II. p. 146. ETMÜLLERVIS Colleg. præl. de morb. corp. hum. p. 103. RIVERIVS Prax. med. Libr. IX. cap. II.

plor definitione fore mihi persuasum est, qui adfescus hic a pica & malacia, vtpote corrupti adpetitus affectionibus, sit disiunctus. Etenim in his absurdis tantum & ab esu prorsus aliena, quae nec in cibo mortalibus esse solent, velut carbones, terrae, calx tinctoria, idque genus alia, adpetuntur; quum in bulimo eiusmodi res, quae omnino hominibus sunt esui, & in culina animali digeri atque confici se patiuntur, duntaxat desiderentur. Accedit etiam illud, quod hi adfescus virginibus & grauidis mulieribus multo visitatius solenniusque, quam viris, eueniant. Evidem sunt, qui & picam ad censum adpetitus nimium aucti referre conantur, quia hoc morbi genere conficitantes eiusmodi insolita, & commendo atque concoquendo inutilia, itidem cupiditate intemperatissima expetunt. At vero per me picam vel nimiac, vel deprauatae fami, vel vtrisque simul adnumerauerit, quisque velit, id facillime patiar, mihimet enim satis esse potest heic ostendisse, plurimum vtique discriminis bulimo cum pica & malacia intercedere, quippe in quibus earum rerum adpetentia est, quae nec vescendo sunt, nec nutriendo: quum contra in nostro morbo aegroti visitata tantum & humano generi solennia intemperate concupiscant esculentia.

§. VII.

Perspecto itaque, quomodo bulimia, quae aliquibus etiam *καραχεντιώς φαγέδων* usurpari solet, a ceteris nimis auctae famis symptomatibus distet & diversa sit, expediret quoque istas sciscitari caussas, a

B 3

qui-

quibus tanta vorandi libido aegrotis incendi solet. Atqui quum hae forte obscuriores ac intellectu difficiliores videri possent, nisi ea paeſtruantur, quae eiusmodi cauſis clarius lumen adſerre valent: operaे pretium fore arbitror, veram famis natura-lis habitudinem & naturam dilucidius magisque per-ſpicue expedire prius, quam ad bulimi indolem per-quirendam & inuestigandam ingrediar: cognito enim, qua ratione animalibus secundum naturam edendi cupiditas accendatur, nullius quoque nego-tii erit perspicere, quibus potissimum cauſis eius-modi voracitas audiſſima, quam cum pluribus iſſue variis perſaepe corporis afflictionibus societa-tem coiſſe videmus, accepta ſit referenda. Atvero quum nec natuia, atque cuius animanti infita, ciborum adpetentia fatis diſtincte cognosci atque intelli-gi poſſit, niſi earum corporis partium, quarum be-neſcio humanae menti eiusmodi ciborum capiendo-rum deſiderium incutitur, ſtructura explorata ha-beatur & perſpecta: non puto alienum institutis meis eſſe futurum, admirabilem ventriculi fabri-cam, quoad eius fieri neceſſe erit, prius hoc loco perlustrare, quam ad naturalis ciborum adpetentiae rationem adgredior explicandam.

### §. VIII.

Noli vero putare, me omnia, ad ventriculi ſtru-cturam ſpectantia, alioquin per digna, quae illuſtrio-re declaratione beneuoli Lectoris oculis ſubiiciantur, heic eſſe conſectaturum; quia alias non Differ-tatio, verum haud exiguae molis codex mihi fuifſet excu-

excudendus: sed ea duntaxat perpensurum, quae permagni esse mihi visa sunt momenti, ad nostrum immoderatae edacitatis morbum planius dilucidiusque expediendum. Nemo igitur a me expectet minutissima quaeque, quantumuis haud iniucunda neque suo utilitatis fructu parentia, velut quae stomachi figura sit vel magnitudo? quo is in abdomine vratur positu? quibus orificiis instruetus? quot quibusue parietibus, seu superficiebus deprehendant exornatus? an idem semper eiusdem omni tempore conspiciantur, an vero diuersus situs, & quo potissimum temporis flexu eiusmodi positurae mutatio contingat? & sexcenta id genus alia, vt sibi deinceps commemorem: sed ea tantum, quorum praecipuus quidam erit atque insignior visus, ad nimiam istam vescendi cupiditatem clarius intelligendam. Quocirca maius operae mihi videtur premium, praeter eius tunicas, quibus coagmentatus est, eius vasa sanguifera & neruos, utpote in quibus maximum molestissimae huius afflictionis positum est momentum, scopo nostro sufficienter hoc duntaxat loco perlustrare: iis quippe abunde cognitis & perspectis, non arduum erit mente comprehendere, quam ob caussam & quomodo eiusmodi insuperabilis vorandi adpetitus compluribus aliquando morbis accidere queat.

§. IX.

Vt igitur ab illis *membranis*, quae ventriculi cauum complexu suo coercant continentque, exordiar, nemini facile, qui vel primoribus tantum labris

bris anatomie attigerit, incognitum erit, stomacho, communi fere omnium Anatomicorum, vel recentissimorum, consensu, *quatuor inuolucra*, situ, fabrica atque vsu inter se disiunctissima, attribui. Primus, qui cunctis ceteris quadrinas in ventriculo praemonstrauit pelliculas, WILLISIVS fuisse legitur, cuius vestigia deinceps omnes reliqui Anatomici, si a paucis quibusdam discesseris, ad vsque nostram memoriam, sunt persequuti (g). Extima eius tunica, alias quoque *communis* dicta, quae interioris peritonaei laminae, vel, si cum recentioribus malueris, germani verique peritonaei proles existit, totam exteriorem ventriculi faciem obtegendo uestit. Altera, priori subiacens, quae *musculosa*, seu *carnnea*, nominatur, binis fibrarum carnearum stratis, seu ordinibus, constare fertur. At vero quanquam non sene vlli musculosa haec stamina, specie duarum laminarum, cultro separata ostendere atque exhibere licet, quoniam, si verum fateri fas est, musculosi hi villi non vario solum & diuerso itinere per stomachi exteriorem faciem decurrunt, sed etiam qui recti incedunt, & stratum exterius ventriculi conficiunt, vsque adeo exiles & teneri deprehenduntur, vt vix ac ne vix quidem sine abruptione sese a fibris subiectis, in orbem contortis, disiungi atque auferri patiantur: tamen aequum vide.

(g) VERHEYEN *Corp. hum. anatom.* Tr. II. cap. X. HEISTERVS *Comp. anat.* Tom. I. §. 209. WINSLOW *Expos. anatomie de la structure du corp. hum.* Tom. III. Trait. du bas-ventr. §. 54.

videtur, quum plerisque, vel recentissimis Anatomicorum, haec musculosae tunicae partitio, in binas fibrarum series seu ordines, sit recepta atque etiamnum comprobata, eam vel hoc loco retineri. Meum igitur esset, ut paucis iam expedirem, qua & quotuplici via musculares illae fibrae per ventriculi exteriora deferri solent? verum quum hac ratione mihi in hoc amplissimo differendicampo longius excurrentem, quam decretum est; ea insuper quoque a WINSLOVIO & GARENГОТО diffusius relata, in eorum monumentis, quae litteris consignata vbiique prostant, ad satietatem legi possint: actum acturus viderer, huc exscripturus, quae isthic & copiosius, & dulcius degustari queunt.

§. X.

Tertia, quae musculosae tunicae conspicitur substrata, secundum Veterum mentem, *neruea* dici solet, quia solis nerueis villis, quod ex albicante eius colore opinione augurati sunt, confectam esse perhibent (*b*). Verum WINSLOVIO ea videtur magis tendineis staminibus, quam nerueis, constructa, quas miris modis in decusse ductas & contextas esse statuit (*i*). At vero quum nemini natales harum fibrarum, quae inexplicabili serie inter se connexae animaduertuntur, demonstrare sit integrum; nec nostra multum referat, solis nerueis, an tendineis constet fibris, iis peruestigandis non immo-

C rabi-

(*b*) Thom. BARTHOLINVS, *Anatom.* L. I. cap. IX. VERHEYEN,  
*Anat. corp. hum.* Tract. II. cap. X. (*i*) Libr. & loc. cit. GARENГОT, Libr. & cap. cit. §. 36.

rabimur, contenti tantum heic indicasse, ea ordine  
quota sit ex numero tunicarum, quae admirabili  
sua compage ventriculum constituant. Quarta tan-  
dem, quae intima est omnesque enumeratas stom-  
achi pelliculas succingit, vulgo *villoſa* nuncupari con-  
fuevit, quia innumerabilibus filamentis iisque sub-  
tilissimis, ad perpendiculum erectis, quemadmo-  
dum in texto holoferico spectare licet, contexta ef-  
fe apud veteres rei anatomicae scriptores legitur.  
Sed **WINSLOVIVS** eam ex eiusmodi villis, quales  
ab Auctořibus commemorantur, esse negat concin-  
natam, potiusque *fungofam* cupit appellatam (*k*), cui  
**GAREN GOTVS** succinit, itidem eam non arre-  
ctis villis, sed folliculosis papillis, quorum alia alii  
quætorw<sup>s</sup> affidet, esse fabricatam contendens (*l*). Qui-  
bus nec **R V Y S C H I V S** ablusisse videtur, vt pote si-  
militer eam e solis papillis excitatam esse perhibens:  
quo etiam nomine eandem non *villoſam*, sed simpli-  
citer *papilloſam*, alibi vero *papillo-villoſam* & *villoſo-*  
*papilloſam*, usurpauit (*m*). Quanquam vero ego  
intimae hūic ventriculi tunicae eiusmodi villos de-  
negare non sustineam, non tamen possum, quin  
aperte confitear, eos limpidissima aqua prius ali-  
quantisper maceratos, & deinde microscopio lustra-  
tos, magis papillularum, quam villorum, speciem  
præ se ferre mihi esse visos. Praeterea etiam est

com-

(*k*) *Libr. & Tom. cit. § 65.* (*l*) *Libr. & loc. cit. § 37.* (*m*) *Ad-  
uers. anat. Decad. II. No. IX. & Aduers. anat. Decad. III.  
No. X. Thesaur. anat. VIII. Affer. IV. No. LX. & ibid. Affer.  
V. No. LXX.*

commemorabile, bombycinum hoc velamentum, quod cunctis ceteris tribus membranis subtensum est, tanta tamque innumera pororum, in ventriculi cauum hiantium, multitudine esse praeditum, quanta vix cuiquam credibilis est (*n*), qui sunt oscula totidem canalium, cum resorbentium, tum potissime excernentium, assidue liquorem exsudantium, qui omnibus suis dotibus ad saliuae indolem quam proxime accedit, & *succi gastrici* nomine in foro medico cieri solet. Emanat ille ex suis fontibus tam uberrime, ut, **B R V N N E R O** id obseruantे, vel in demortuorum ventriculis, non ita multo post obitum cultro apertis, etiamnum affluenter sca- teat: quoties enim stomachi parietes interiores, ga- strico liquore permadentes, munda siccaque spon- gia abstererit, toties eum denuo e suis scatebris de- fillasse tradit (*o*).

§. XI.

Perspectis igitur membranis istis, quibus sto- machus fruitur, in eo esset, ut illa quoque cellulosa texta, quae enumeratis veris eius inuolucris inter- iecta cernuntur, hoc loco leuiter perstringerem: verum enim vero quum haec neutiquam in censum verarum tunicarum referri mereantur, desideratis iis doribus, quae germanae membranae conueniunt;

C 2 neque

(*n*) **R V Y S C H I V S**, *Thesaur. anat.* II. *Affer.* III. *No.* IV. *Tab. V.*  
*Fig. 2.* **W I N S L O V I V S** *loc. cit.* **G A R E N G E O T**, *loc. cit.* **Ioh.**  
**Conrad.** **B R V N N E R V S**, *Experiment. novis circa pancreas,*  
*Experiment.* VI. pag. 49. (*o*) *Diatrib. de lymph. & vsu pan-*  
*creat.* cap. I. pag. 70. cap. III. pag. 77. cap. V. p. 87. & 89.

neque insuper tantus eorum se se nobis ostendat fructus in nimio cibi appetitu declarando , quantum quis sibi forte persuadeat, ea consulo heic omittam, progressurus ad reliqua, quae maioris sunt momenti meque magis mouent, expendenda. Quae quum illi sunt canales, quibus sanguinea liquida ventriculum non alluant modo, sed ipsas quoque eius tunicas interluunt, non abs re erit eos, quam breuissime fieri poterit, nunc perlustrare, maxime quum haud parum lucis nostro morbo allatueros esse mihi persuasum sit. *Vasa* igitur *arteriosa*, ventriculo quae de sanguine prospiciunt, ex arteria potissimum coeliaca, velut rami e suo caudice, progerminant, indeque vel *ἀμέσως*, vel beneficio aliorum ramorum indidem ortorum, stomachi partibus distribuuntur.

## §. XII.

*Coeliaca* enim quae vocatur *arteria*, trunco per quam breui ex anteriore descendenter aortae facie exorta, non in duos, ut vulgo traditur, sed plerumque in tres spectabiles se dividit ramos, quorum aliis dextrorum ad hepar pergit, alias vero sinistrorum ad splenem pertendit: vnde utriusque hirami, alter nomen *arteriae hepaticae*, alter vero *splenicae* ferunt. Ex ipso autem divisionis angulo tertius quidam ramus, itidem satis conspicuus, emergit, qui, quum ad ventriculi curvaturam minorem pertingens, surculos suos in omnes fere huius curvaturae partes disperget, potissimumque superius ventriculi orificium compluribus ramusculis redimit velutque coronet, idcirco *arteriae coronariae* nomi-

nomine appellari consueuit. Aliquando tamen coronaria haec non ex ipso coeliacae arteriae biuio, sed ex ipso eius trunco ante egredi obseruatur, quam ille in commemoratos binos conspectiores dispartitur ramos. Coronaria ergo haec arteria, quae gastrica etiam superior audit (*p.*), a coeliacae trunco dissecdens, post ventriculum pergit ad eius os sifistrum, cui, ut modo dictum est, per plures circumcirca inseritur propagines; ipse vero coronariae trunca deinde a cardia ad illud ventriculi interuallum, quod duobus eius interiacet orificiis, deflectitur, unde ad ipsum progreditur pylorum, ubi cum arteria pylorica apposito itinere in unum coit. In hoc per minorem stomachi curuaturam itinere, in numeros utrisque eius superficiebus spargit ramos, qui mutua inosculatione cum arteriis gastricis & gastrico-epiploicis connectuntur.

§. XIII.

Praeter iam delineatam coronariam, plures etiam aliae arteriae in ventriculo veniunt nobis contemplandae, velut ita dictae gastricae & gastro-epiploicae, quas paucis percurrere operae pretium erit. Ramus coeliacae dexter, qui etiam hepatica dicitur arteria, ad iecur proficisciens, binos a se dimittit ramos, alterum satis insignem, gastricae dextrae nomine cognitum; alterum vero minus spectabilem, qui arteria pylorica salutari adsolet, quoniam ostium stomachi inferius, seu dextrum, adiens, non ei solum permultos surculos impertit, sed vicinae etiam

C 3 ven.

(*p.*) WINSLOVIVS Tom. cit. Trait. des arteres. §. 177.

ventriculi parti longe plures inserit, qui cum gastricae dextrae propaginibus mutua anastomosi coniunguntur. Ipse vero huius arteriae trunculus quomo<sup>d</sup>o coronariae arteriae committatur, paulo ante haud obscure ostendi. Arteria vero, quae *gastro*  
*rica minor*, seu *dextra*, nominatur, quam primum ad dextram ventriculi extremitatem peruererit eiusdemque orificium fuerit consecuta, statim insignem emitit ramum, qui, quum per intestini duodeni tunicas variis surculis disseminetur, inde nomen *arteriae duodena*e traxit; etiamsi non abnuero, hanc arteriam, quae duodeno cruorem adfert, interdum ex ipso hepatico trunco enasci. Ipsa autem gastrica dextra, ramo hoc exerto, in dextra stomachi parte extrinsecus ad curuaturam eius maiorem, Veteribus *fundum dictam*, perreptat, nomineque iam mutato *gastrico-epiploica dextra* dici consuevit. Et enim dum secundum huius fundi longitudinem decurrit, complures utrobique disseminat propagines, tam ad ventriculum, quam ad epiploon, seu omentum, hincque est, cur iam antiquitus *arteriae gastrico-epiploicae* appellatione fuerit insignita.

#### §. XIV.

*Arteria vero gastrica sinistra*, quae quia gastrica dextra conspectior est, *maior quoque cieri* solet, a ramo arteriae coeliaceae sinistro, seu splenico, proficiscitur. Quippe postquam haec splenica arteria circiter ad sinistrum pancreatis peruererit extremum, haud sane exiguum exserit ramum, qui vsque inde ad laeuam ventriculi extremitatem pertingens, id quod

quod ipsi gastricae sinistram cognomen fecit, innumerabiles per vtrasque ventriculi superficies surculos dispergit. Ipse vero truncus huius arteriae, a sinistro ventriculi extremo reflexus, secundum huius fundum, seu curuaturam maiorem, decurrit, hocque itinere complures ramos, cum ad omentum, tum praecipue ad ventriculum, disseminat, idcirco nunc *gastro-epiploicae sinistram* cognomento cieri assolet; quae, vbi in medio ventriculi fundo arteriae gastro-epiploicae, ab opposita plaga ventienti, fuerit obvia facta, cum hac in unum continuum & communem coit canalem, aliquibus nomine *gastro-epiploicae mediae* notatum (q). Ecce hic tibi potissimas, quae sanguinem ventriculo appor-tant, arterias, breuius quidem, quam merentur, scopo tamen nostro conuenienter explicatas, de quibus id meminisse conueniet, vniuersos dictarum arteriarum ramos, qui in omnes stomachi partes disperguntur frequentissimi, tam arctis vinculis serie-que fere inexplicabili inter se esse connexos, vt alias in aliud dehiscat, sique crux aditus ex alio ad aliud pateat expeditissimus, id quod hoc experimen-to cuius satis liquebit, si unicum, quemcunque ve-lis, harum arteriarum ramum inflaueris, iucundissimo spectaculo adparebit, quemadmodum omnes alii arteriosi surculi, per vniuersum stomachi ambitum disseminati, pariter, velut temporis momen-to, statu immisso eleuentur, argumento vix ullo  
alio

(q) WINSLOVIVS Tom. 5 Tract. cit. §. 192.

alio testiori, eos mutua *divaricatio* inter se esse coniunctissimos.

### §. XV.

Atque nec illud silentio hic praetereundum putto, cunctas toto ventriculo intextas arterias perinde, ac eius venas, haud quaquam rectis, sed admodum flexuosis tortuosisque itineribus, in modum serpentis lubrica terga volventis, eius parietes perreptare, ne quid forte damni facerent, eo ciborum mole diducto & dilatato. Vniuersi arteriosi rami ut primum sese ventriculi membranis immerserint, in innumerabiles diffunduntur surculos, qui sensim sensimque in minores, tandemque abeunt in minutissimos, miris modis in semetipsos implicatos & coēentes, quo admirando artificio duo velut peculiaria singunt & construunt retia arteriosa, quorum alterum intra muscularē & nerueam tunicas situm; alterum vero, quod longe minutioribus & stupende exiguitatis ramusculis est contextum, nerueam inter & villosam deprehenditur collocatum (r). Ex hoc posteriori vasculolo reti vascula tam in numero numero villosae intexuntur membranae, vt, stomachi arteriis rubra cera repletis, ea, R V Y S C H I O dicente, conchyliato panno videatur esse simillima (s). Neque illud hoc loco est dissimilandum, ventriculi arterias non minus, quam intestinorum, yltimis suis ramulis in eiusdem interioribus ex omni parte patere: vnde etiam factum est, vt, arteriis hisce

(r) WINSLOVIVS Tom. III Trait. du bas-ventr. §. 74. (s) Theſaur. anat. IV. Affer. V. No 92.

hisce solertissima RUVY SCHII manu iniectis, ceraea materia ex hiantibus eorum osculis, specie minutularum guttularum, in ventriculi capacitatem persaepe erupuerit, quae deinde concretae & interiori eius superficie adhaerentes, speciem millenorum granulorum induisse feruntur (t).

§. XVI.

Propemodum eorum vasorum, quae *vasa brevia* audiunt, oblitus esse, quae tamen tanto minus nobis negligenda videntur, quanto crebrior eorum mentio in Medicorum scholis fieri solet. Suboriuntur illa ex ipso arteriae splenicae trunco prius, quam lienis viscus subit, suntque numero vt plurimum bina ternae, quae laevo ventriculi extremo eique amplissimo, quod Gallis *grand Cul-de-Sac de l'estomac* dicitur, pluribus surculis inolescere solent (u). Perspectis itaque arteriis, quae ventriculi latera circumluunt, locus, ordo & propositum exigere videntur, ut etiam *venas*, quae arteriis comites haerent, breuiter percurramus, ne quid a nobis, quod tamen rei dicendae aliquod lumen adfundit, negletum videatur. Omnes vero natales mutuantur suos vel ab ipso venae portarum trunco, vel ab eius conspectioribus ramis, qui vel ad mesenterium, vel ad lienem contendunt, iisdemque nominibus gaudent, quibus stomachi arteriae notantur.

§. XVII.

Caudex venae portae ramum quendam ex se  
D gene-

(t) *Thesaur. anat. VI. Affer. I. No. 33. & Thesaur. anat. II. Affer. III. No. 14.* (u) *WINSLOVIVS Trait. des arter. §. 194.*

generat, qui ad pylorum adit, vnde *pylorica* vocatur *vena*, quae huc adpulsa, variis prius surculis, orificio huic inferiori insitis, ad ventriculi curuaturam dein pergit superiorem, vbi cum coronaria sibi occurrente concrescit (*x*). *Vena gastrica dextra*, quae *WINSLOVIO* simpliciter *gastro-epiploica* dicitur, (quod non est illius propago, sed potius ipse truncus, continuo tractu in maiore seu inferiore stomachi curuatura decurrens,) oritur aliquando ex ipso venae portae trunco; solennius vero & frequenter ex peculiari quadam ramo mesenterici sobole, quam nomine *gastrico colicae* laudatus Auctor vocat; inde ad dextram stomachi partem adscendens, indidemque sub eius fundum reflexa, cum vena eiusdem nominis sinistra, apposito itinere, in unum perpetuum canalem coalefecit (*y*). *Vena autem gastrica Iaea* suam acceptam refert originem ramo venae portae splenico, quippe a quo prognata ad sinistrum ventriculi pertingit extremum, vnde decurrens, per eius ima pergit usque ad dextram *gastro-epiploicam*, ab aduersa plaga sibi obuiam, cui mutua osculatione adnectitur. In hoc per ventriculi fundum decursu complures de se spargit ramos, perinde atque altera adposita *gastro-epiploica*, tum per ventriculi superficiem, tum per epiploon.

### §. XVIII.

Quod vero ad *venam stomachi coronariam* attinet,

(*x*) *HEISTERVS* libr. cit. §. 297. *WINSLOVIVS* Tom. cit. *Trait. des veines*, §. 238. (*y*) *WINSLOVIVS* *Trait. cit.* §. 240, 244. & 245.

net, ea inconstantis deprehenditur esse originis. Ali quando enim ab ipso venae portae trunko proficisci tur (z), crebrius autem a ramo eius splenico pul lularē obseruatur (a), vnde ad superius ventriculi ostium adrepit, quod stringendo variis ramis exor nat. Ipse vero coronariae trunculus, per superiore rem curuaturam delatus, venae pyloricae, sibi ob uiam isthīc venienti, continuato canali iungitur, qua permultas vtrisque ventriculi lateribus largitur pro pagines. Huic venae coronariae *vasa brevia venosa* veniunt subnectenda, vtpote quae, numero circiter bina vel terna, a vena splenica, iam lienis inter rioribus se mersura, ad capaciorem stomachi, seu si nistram partem proficiscuntur, vbi se non abscondunt solum, sed etiam cum ramis venarum gastricae laeuae & coronariae anastomosibus coniungun tur. Denique nec illud notatu indignum est, quod vena haemorrhoidalis interna, siue ex diuisionis angulo, siue ex trunko venae splenicae, progenita, paullulum a suo ortu in duos notabiles diuidatur ramos, alterum superiorem, seu ascendentem, alte rum vero inferiorem, siue descendantem. Hic intestinis colo & recto prospicit: ille vero, qui ad insig nem illum intestini coli arcum, sub ventriculo ob uiu, fertur, in plures fatiscit propagines, quarum quaedam cum ramo venae portae mesenterico mu tuum habent commercium: aliae vero cum ramis quibusdam venae gastro-epiploicae sinistrae *ἀμέσως*

D 2 coale-

(z) teste WINSLOVIO loc. cit. §. 255, (a) HEISTERVS loc. cit. WINSLOVIUS *ibid.*

coalescunt (*b*). Quod supra de sinuoso arteriarum, quae ventriculi integumentis sunt intextae, itinere, illud etiam de vniuersis eius venis intelligendum, quippe quarum itidem flexuosi sunt reptatus. Quid? quod quemadmodum arteriae omnes ultimis suis surculis inter se cohaerere perhibui: ita etiam vniuersae ventriculi venae suis ramis inter se mutuo amplexu iunguntur.

### §. XIX.

Postquam varios illos riuos, quibus vitalia liquida ad ventriculi sepimenta adfluunt atque illabuntur, indidemque refluent in mare microcosmicum, considerauit, illi adhuc funiculi superstant expendendi, quibus stomachi tunicis & sentiendi, & mouendi potentia conciliatur, quos proinde breui percurrere neque iniucundum erit, nec ab instituto alienum. Accipit itaque ventriculus suos *neruos* potissime a pari vago, seu octauo, nec non a pari intercostali. Namque ipsi trunci paris vagi, ramis ad plexus cardiacum & pulmonarium conficiendos a se dimissis, a latere oesophagi utriusque descendunt ad ventriculum, quo itinere truncus dexter sensim sensimque retrorsum cedit, quemadmodum contra laeues eodem modo antrorsum, utriusque vero plura emittunt fila, quae iterum inter se cumque ipsis truncis passim coniunguntur. Quo efficitur, ut ipsi trunci octauai paris binos insignes neruos constituant, alterum, qui anterior est, alterum vero, qui posterior. Hic natales a pari dextro ducit suos: ille e contrario a finistro

(*b*) WINSTLOVIVS *ibid.* §. 264.

stro pari, qui vtrique gulam comitantes ad stomachum pertingunt, vbi nenuus stomachicus anterior in plurimos abit surculos, qui tota anteriore ventriculi superficie sese spargunt: stomachicus vero funiculus posterior, itidem in inumeras propagines separatus, omnem eius faciem posteriorem suis muscularis conserit. Ipsimet praeterea trunci stomachici, ad sinistrum ventriculi orificium profecti, istic complures ex se diffundunt ramulos, miris modis inter se implicatos, velutque reticulatum opus confidentes, qui, quum non ostium modo ventriculi superius circumsepiant, ac veluti corona quadam, nerueis surculis nexa, circumdant; sed ipsam quoque minorem stomachi curuaturam perreptent frequentissimi: propterea haec admiranda nenuorum in tota ventriculi curuatura minore implicatio, nomine *plexus coronarii* ab Anatomicis appellata fuit (c).

§. XX.

Plerisque Anatomicorum huc usque fuit persuasum, nenuos octauis paris ultra ventriculum non progredi, sed in eo terminari. Atqui *autoſta* clarissime ostendit, eos multo longius abire, quam ab Auctoribus traditum est: Coronarius quippe hic plexus, ori sinistro ventriculi circumvolutus, duos peculiares ex se gignit nenuos, qui deorsum pergentes, ad plexum coeliacum, vel, si maiis, mesentericum & renales, suum quoque omnino conferunt symbolum. Verum quum natura in partibus hu-

D 3 mani

(c) WINSLOVIVS Tom. cit. Trait. des nerfs §. 133. & segg.

mani corporis condendis & suo quaeque loco, ordinandis, legibus haud tam arête sit adstricta, quin subinde ab ordine alias sibi solenni desciscat: ita quoque multo vsu atque experientia cognitum est, ab ea nec eundem semper seruari ordinem in vasorum & neruorum ramis diffindendis & distribuendis: Ipsemet enim aliquoties in Theatro anatomico, quod Berolini floret, duce & auspice Illustri ac Excellentissimo Professore B V D A E O, Praeceptore & Maeenate aetatem mihi pie & religiose obseruando, in cadaveribus humanis vidi, insignem quendam & peculiarem ramum (praeter illos, qui a plexu coronario ad ganglion arteriae coeliacae pertingunt) *ἀμέσως* ex nominato ventriculi plexu ad hepatis viscus transisse. Sed haec haetenus. Progrediar igitur ad illas quoque nerueas propagines breuiter lustrandas, quae ventriculo a pari intercostali disperiuntur. Nolo vero cuncta, quae de hoc pari dici queunt, heic pluribus persequi; sed ea duntaxat, quae nobis esse vsui possunt. Fide Anatomes satis superque constat, truncum intercostalem vtrinque in thoracis cauo, vbi sextam circiter costam veram attigerit, pedentem quatuor vel quinque notabiles ramos protendere (*d*), qui a trunco deflexi, oblique supra vertebrae dorsi decurrent usque ad ultimam huius vertebram, vbi in unum funiculum satis spectabilem coalescunt, & nomine *intercostalis superioris* vulgo dici solent, qui deinde, diaphragmate perforato, abdominis cavitatem intrat, vbi suo quisque

in

(*d*) WINSLOVIVS *Trait.* cit. §. 398.

in latere, a tergo renum succenturiatorum, peculiare quoddam ganglion progignit, quod, quum parum a lunae corniculatae figura abludat, ideo *ganglion semilunare* denominatur.

§. XXI.

Bina haec intercostalium neruorum superiorum ganglia semilunaria, quorum alterum a dextro, alterum vero a sinistro intercostali ortum, inter se, interuentu tertii cuiusdam ganglii, quod omnium gangliorum, quae humano in corpore periuntur, est maximum, coëunt, sive ad plexum illum conficiendum conferunt, qui innumeris suis nerueis ramulis, quorum aliis alio implicatus est, ipsum arteriae coeliacae truncum circumpletebitur, deinde vero in plexum mesentericum superiorem desinit. Iam vero quum §. praecedente non obscure, opinor, ostensum sit, quomodo bini nervi funiculi, a pari vago dimisi, plexui coeliacae arteriae innectantur: facile adparebit, quam magnum sit ventriculo commercium cum praecipuis in abdome conclusis visceribus. Etenim ganglion semilunare dextrum aliquas nerueas producit propagines, quae cum nonnullis aliis, a plexu coelaco, item a plexu stomachico exortis, coniuncta, illum plexum, qui hepar adit, conficiunt (e): semilunare vero sinistrum ganglion format splenicum plexum, cui etiam surculi quidam ex stomachico plexu sese socios adiungunt (f). Quomodo tandem

plexus

(e) WINSLOVIVS loc. cit. §. 405. (f) WINSLOVIVS loc. cit. §. 408. & Trait. du bar. ventr. §. 79.

plexus renales cum stomachico communicent, id traditurus quum longior essem, quam velim, eum, qui eius sciendi cupidus est, ad Auctores, qui de neruorum distributione aliquid monumentis manda- runt, relegabimus: nobis enim abunde est, heic paucis expediisse, quam arcta propinquitate stomachicus plexus nervis intercostalibus superioribus coniunctus sit.

### §. XXII.

Stamina ista neruea, quae a plexu stomachico profecta, & per vtrasperque ventriculi superficies abundantissime esse disseminata supra scripsi, extimam inter & carneam tunicas offenduntur, vbi denuo ingentem longe tenuiorum muscularorum multitudinem emittunt, qui inter fibras musculares penetrantes ad subiectam tunicam nerueam proueniunt, vel hanc tunicam traientes usque ad villosam pertingunt, vbi in ita dictas papillas nerueas desinunt, sub villoso hoc tegmine delitescentes (g), quae neutriquam pyramidalis formae, ut plurimis persuasum est, sed, R V Y S C H I O teste locupletissimo, rotundae esse deprehenduntur, vel oblongae (h). Atque etiamsi doctissimus hic Auctor fateatur, eas se multo abundantiores in ouillo, quam humano, vidisse ventriculo, tamen illas dicit sibi quoque in humano stomacho fuisse conspectas, quantumuis minus frequentes. Quin papillae hae nerueae ventriculo a natura ideo tantum fuerint tributae, vt blan-

de

(g) R V Y S C H I V S *Aduersi anat. Decad. III. No. X.* (h) R V Y S C H I V S *loc. cit. Tabul. II. Fig. 7.*

de vellicatae, seu aliter affectae, cibi desiderium animantibus arcessant, nemo forte hodie dubitauit, nervorum indolem & usum qui habuerit spectata. Denique nihil aliud restaret, nisi ut glandulas quoque illas, quibus stomachus adfluere fingitur, atque unde liquor gastricus emanare dicitur, contemplarer; sed nodum in scirpo quaesitus ego mihi videor, eas, quum nullae in ventriculo humano existant, hic traditus. R V Y S C H I V S enim pluribus rerum testimoiiis omnium oculis dedit demonstratum, has in ventriculo humano glandulas nihil esse aliud, praeterquam continuations arteriarum, quae in stomachi interiora paterent: vasis quippe his cerea fartura repletis, non glandulas solum istas inquit una esse effertas, sed liquamen injectum quoque ex iis in ipsum ventriculi cauum effluxisse (*i*); cui B R V N N E R V S adstipulatur, diserte dicens, si bi nondum contigisse eiusmodi glandulas humano in ventriculo, quantumuis multa sedulitate perquisitas, videre; tametsi in suillo ventriculo satis conspicuae deprehenderentur (*k*). Cui haud obscure HEISTERVS consentire videtur, similiter concedens, istas in homine perquam difficulter inueniri (*l*). Verum fac, esse aliquas etiam ibi glandulas, non tamen perspicio, quid his praeter ceteros canaliculos, qui arteriis continuati sunt, foret praecipuum in liquore gastrico secernendo. Ne vero ea, ad ventriculi structuram spectantia, nos longius ab

E ince-

(*i*) Epist. anat. problem. XI. & Thesaur. anat. VI. Affer. I. No. 33.

(*k*) Libro cit. cap. 7. pag 70. (*l*) Libr. cit. Tom. II. §. 391.

incepto trahant, progrediamur ad illa curatius perpendenda, quae praemissis his anatomicis, velut fulcris, nituntur.

§. XXIII.

Prius vero quam ipsi immodicae ciborum appetentiae dilucidius explicandae nos accingamus, e re futurum arbitror, *famem naturalem* eiusque causas perscrutari, quibus cognitis, perspectu erit facilis, quomodo eiusmodi immoderata edendi cupiditas aegrotis quibusdam ex variis interdum morbis conflari queat. Per *famem* vero intelligimus *naturale quoddam comedendi desiderium, humanae menti a nerueis ventriculi papillis, blande & moderate affectis seu titillatis, accensum*. Omnium fere Medicorum communis in eo est consensus, si ab aliquibus discesseris recentioribus, animae humanae talem epulandi cupiditatem concitari a papillis, quibus interiores ventriculi parietes abundant, nerueis, certo quodam & blando motus gradu agitatis: de causis autem illis, quae neruorum extremis huiusmodi gratam adhibere valent titillationem, inter eos non conuenit: tam variae enim tamque dissidentes inter se de ipsis sunt opiniones, vt, si eas recenseam omnes, sermo mihi nimis longus foret futurus. Quocirca istas de cibi appetentia opiniones, quae antiquiorum, quin imo antiquissimorum fuerunt, in praesentia consulto tacitus praeteribo, illas tantum breuiter exposturus, quae posterioribus demum temporibus a rei medicae optimatibus adoptatae sunt, & maiorem veritatis speciem prae se ferunt.

§. XXIV.

§. XXIV.

SPP HELMONTII ea fuit opinio, famem animantibus a succo quodam acido, quem ex liene per vaſa brevia in ventriculum credit exſpirare, concitari, cui quamplurimi ex posteris, velut WALAEVS (*m*), Thom. BARTHOLINVS (*n*), aliique congruent, vno velut ore & mente acidum quoddam adpetitus cauſam declarantes. At vero quemadmodum haec ſententia nihil habet argumenti, ita quoque iam pridem a viris doctissimis, compluribus experimentis & grauiſſimis argumentis, refuta ta eſt atque exploſa (*o*). Franc. de le Boe SYLVIVS, strenuus HELMONTII ſectator, verbis quidem, ſed re ipſa fere nihil diſcrepans, primariam famis cenſet cauſam alimentorum, in ventriculo fermentatorum, reliquias in ipſo reſtitantes inter eiusque plicaturas interfluentes, quae a deglutitae ad ſiduo ſaliuae parte magis magisque fermentatae, halitum quendam ſubacidum exſpirarent, qui ad ſuperius ventriculi orificium allatus, illud blande adſiciat ſic que famis ſenſum excitet (*p*). Cui complures vel recentiſſimorum adſentiri dubitauerunt nulli (*q*). Verum nec huius ſententia, dummodo exquifitiore examine fuerit perpenſa, veritati videtur conſentanea:

E 2 tanea:

- (*m*) Epistol. de mot. cyl. & ſanguin. ad Th. BARTHOLINVM I. p. 763. (*n*) Anat. cit. Libr. I. cap. XVI. p. 170. (*o*) BRUNNERVS libr. cit. pag. 19. 20. BOERHAAVIVS Praelect. acad. Vol. I. §. LXXVII. (*p*) Libr. I. Prax. medic. cap. II. §. 3. (*q*) DAN. TAVVRY, nou. Anat. cap. II. p. 37. GLISSONIVS de veptr. & intefl. §. 326.

tanea: quum ipsa ei experientia, omni ratiocinio testatior, reclamet. Compertum enim est multoque vsu cognitum, eos homines, qui matutinis temporibus calida potulenta forbillare adsueuerunt, ab eorum vsu cibi longe adpetentiores esse, quam antea; quum tamen eiusmodi infusis reliquiae istae ciborum non diluantur solum siveque earum vellicandi vis valdopere infringatur, sed eluantur quoque atque ex ventriculo in adpensa intestina foras eiificantur. Iam vero quum, sublata causa, effectus etiam indidem proficisciens simul tollatur necesse sit, tantum vero absit, ut edendi libido post eiusmodi calidorum liquidorum haustum imminuat prorsusque auferatur, ut potius insigniter augeatur: ipsa luce clarius inde adparebit, quam ficalneis argumentis illa a SYLVIO eiusque affectis in medium prolata adpetentiae causa nitatur.

### §. XXV.

Incomparabilis de GORTER epularum cupiditatem secundum naturam bili, ex intestino duodenio in ventriculum, omnibus contentis iam exhaustum & vacuum, redundanti, acceptam refert, quippe quae, stomacho infusa, nerueas ventriculi papillas stimulando seu vellicando exagitare, siveque famis sensum animalibus conciliare ipsi dicitur (r). Verum pace doctissimi huius Viri dixerim, hanc hypothesisin aequre multis magnisque obstructam esse difficultatibus, ac priores. Non enim satis perpendisse egregius hic Vir mihi videtur valuulam istam,

(r) Libr. cit. Exercit. med. III. § XXIII. & seqq.

istam, in orificio ventriculi dextro, seu inferiori, obuiam, vt pote quae ex duodeno regresuris impedimento est, quo minus eo, vnde elapsa sunt, recedere queant, nisi forte summa vi adacta, quemadmodum in vomitionibus biliosis id obseruare licet. Tum ei ipsa experientia aduersatur, qua in animalium famelicorum ventriculis non fere vnumquam biliosus latex fuit deprehensus: **W A L A E V S** enim, qui magnum dissecuit canum numerum, eo tantum consilio, vt quomodo & quo ordine deuoluta in ventriculo concoquerentur, spectaret, aperite fatetur, in centenis & pluribus canibus, quos hanc ob causam viuos secuisset, inuenisse se tantum in duobus bilem in ventriculum confluxisse, quorum vnum per triduum inediā sustinuisse (*s*); cui alter testis locuples, **Thom. BARTHOLINVS**, succedit, similiter contendens, bilem ordinaria naturae lege ventriculum non ingredi (*t*). Denique varii etiam occurrunt morbi, vbi hepar aut infarctum, aut plane oppilatum est, vel ulcerosa corruptione fere consumtum, velut in febribus quartanis, melancholia hypochondriaca, fluxu hepatico, idque genus aliis afflictionibus; vbi proinde vel nulla bilis, vel, si qua etiam forte, certe exigua eius portio in iecinore secerni potest, quae praeterea nec satis efficax, sed effoeta & ad papillas ventriculi stimulandas existit inidonea, in quibus tamen morbis epulandi cupidus non modo non extincta seu immunita, verum persaepe etiam vehementius, quam

E 3 pro

(*s*) Epist. cit. ibid. (*t*) Libr. cit. Libr. I. cap. IX p. 77.

pro consuetudine, aucta esse obseruatur. Quomo-  
do igitur in huiuscemodi affectibus maior & acrior  
fames aegrotis exoriri queat, deficiente bile, ut po-  
te quae adperitus concitatrix esse scribitur, illud mi-  
hi exputare non est integrum. Cetera, quae huic  
opinioni aduersum tenent, ex industria tacitus praet-  
eribo, ne nimium longus sim in rebus apertissimis.

§. XXVI.

Multo magis arguta neque omni veritati ita aliena est eorum sententia, qui insitam animantibus ve-  
scendi auditatem a mutuo parietum ventriculi exi-  
naniti & vacui attritu deducunt, vnde neruae pa-  
pillae, quibus stomachus intrinsecus scatet, blando  
modo inter se agitatae & confricatae, sive titilla-  
tionis sensu perfusae, menti ciborum desiderium ini-  
cire perhibentur. Quanquam vero sententia haec  
fidei minus absonta, quam ceterae haec tenus a nobis  
enumeratae, videtur, tamen nec ad eam quidem  
accedere possum, quia itidem plura, nec leuia, op-  
nioni huic repugnant. Quae, si omnia in praes-  
enti coner expromere, longius a proposito ser-  
mo meus defleceret, quam statutum habeo. Ne  
igitur in aliorum sententiis, de fame sana, enarran-  
dis multus sim, paucis etiam ostendere conueniet,  
meus qui de famis naturalis causa sit sensus; hac  
enim cognita, nihil quoque erit negotii intelligere,  
quibus causis nimia vorandi appetentia veniat attri-  
buenda. Nullus itaque vereor praecipuam atque  
adeo potissimum famis naturalis causam saliuæ &  
succo gastrico, qui omnibus dotibus saliuæ est simil-  
limus,

limus, adserere, vt pote quae, in ventriculum delata & confusa, papillas eius nerueas blando & iucundo modo adficiunt, velutque dulcedinis cuiusdam sensu perfundunt, quo humanae menti ciborum capiendorum acceditur desiderium (*u*). Neque est, quod longius abeam ad haec planius dilucidiusque expedienda, quum non deficiant innumera rerum testimonia, omni luce clariora atque obseruationum fide nitentia, quae hanc adsertionem abunde confirmant. Quis enim est, quem fugiat, eos homines, quantumvis summa valetudinis prosperitate frumententes, qui saliuam quam adsiduissime exspuunt, velutique ludibri, non secus, ac si nullius fere esset utilitatis, profundunt, breui post tempore sui adpetitus iacturam facere, eumque omnino perdere, arguento vix vlo testiori, saliuam maximi esse ad famem suscitandam momenti. Documento huius rei manifestissimo illi nobis esse possunt, qui vsque adeo tabaci fumo delectantur, vt vitam sibi putent acerbam, nisi continenter eius fumum ore hauriant; de iis quippe compertum est, quum saliuosum latitem temere idque large & effuse sputando reiiciant, cum maximo concoctionis dispendio, quod fere semper ciborum adpetentiam amittant (*x*).

§. XXVII.

Quo autem dictorum veritas cuius clarior sit testa-

- (*u*) Conf. VERHEYEN *Anat. corp. hum. Libr. II. Tract. III. cap. XVI.* p. 453. *Perilluſtr. Lib. Baro de WOLFF, in Gedanken vom Gebrauch der Theile in den Menschen, &c., Cap. II. §. 73.*  
(*x*) BOERHAAVE *Praelect. acad. §. LXXXVI.*

testatiorque, plurimum confert commemorabilem illum casum, cuius venerabilis R V Y S C H I V S meminit (y), heic breuiter exponere, quippe ex quo cuique fore spectatissimum iudico, maximum & praecipuum, in fame secundum naturam exstimulanda, in commemoratis liquidis, saliuia & gastrico humore, esse positum. Refert enim laudatus Auctor, foeminam quandam fuisse, corporis macie absuntam peneque confectam, quae complures in auxilium inuocauit Medicos, sine vlo tamen sui malii leuamine: R V Y S C H I V S denique arcessitus imploratusque ad auxilium ferendum, animaduertit, aegrotam saepius solito iustoque, imo fere perpetuo, exspuisse. Quo intellecto, callide ratus est, morbum, quo tentata erat, ab illa nimia saliuiae profusione esse natum. Atque ecce! euentus coniecturae respondit: postquam enim R V Y S C H I V S aegrae auctor & suasor exstitit, ne in posterum saliuiae suae profusa seu prodiga esset, sed eam deglutitam potius retineret, breui post factum est, vt, cibi aduentus, quae ipsi omnino extincta erat, sensim sensimque recuperata, sicque etiam negotio digestionis restituto, sine yllis adhibitis aliis remedis, cum sanitate in gratiam rediret. Idem Auctor aliud adfert exemplum, notatu perquam dignum, nec multum a commemorato abludens, de saliuia ex vulnusculo genae inficto manante, vbi similiter & fames, & ventriculi digestio, deletae fuerunt, nec prius restitutae, quam saliuiae effluxus cessauit. Quid ergo

(y) *Decad. II. Aduers. anat. No. V.*

ergo ex enarratis his potest tam esse apertum, tamque perspicuum, dum ea animo tranquillo & a partium studio prorsus alieno perpendamus, quam saliuæ & gastrico humoris efficacitatem ac vim famis suscitandæ, omnium praecipue & maxime esse vindicandam?

§. XXVIII.

Quamvis vero diætis modo liquidis, in fame prouocanda, primas deferre non dubitauerim: caue tamen credas, propterea iisdem quoque vnis solisque omne digestions negotium a me committi; quum experientia doceat, praeter haec plures etiam alias causas ad concoctionem perficiendam concurre-re. Ex quibus tantum ea loco nobis venit commemoranda, quae a saliuæ & gastrico liquore secundarum est partium in alimentis digerendis, *motus* videlicet *ventriculi peristalticus*, cui *PIT CARNIVVS* soli efficacitatem concoquendi adserere non est veritus. Verum enim vero quum hic motus naturaliter multo segnior sit & languidior in hominibus, quam in volucribus, quibus frumenti grana esse pro pabulo solent; nec cibis digerendis, quamvis perpetuo alternante diaphragmatis & muscularum abdominis agitatione subnixus & adiutus, solus suppeditet, *WINSLOVIO* omnium præclarissime illud admonente (z): sole meridiano clarius indidem elucebit, vel in ciborum concoctione gastricum laticem vi & potentia longe plus, quam peristalticum stomachi motum, valere atque effice-

F re;

(z) *Tom. cit. Trait. du bas-ventre §. 81.*

re; etiamsi concedam, vel ipsum hunc motum, quo ventriculus alterne atque adsiduo cietur & agitatur, omnino multum ad ingestā digerenda conserre.

§. XXIX.

Quum igitur non ventriculi solum membranas, vasa & neruos, sed ipsam quoque naturalem famem eiusque caussas scopo nostro sufficienter perspexerimus; res, tempus, ordo & propositum postulant, ut ad ipsius quoque *praeternaturalis cibi adpetentiae*, quae multos subinde morbos comitari adsuevit, causas perscrutandas ingrediamur. Quo autem eas clarius pernoscamus, vtique nobis ex usu erit istos morbos, quibus bulimia vt plurimum se adiungit sociam, praemittere: iis quippe perspectis atque exploratis, expeditum erit ac facile animo comprehendere, quae immodicæ sint ac nimiae nostri edacitatis morbi incunabula, quibus nascitur & fouetur. In censum autem istorum morborum, qui haud insolenter & raro huiusmodi immoderata epulandi cupidine comitati incedant, complures corporis affectiones deferri possunt; quae, etiamsi aliquando fame quadam, a naturali esurie parum vel nihil abludente, quin etiam aliqua subinde *droge*<sup>et</sup> *stipatae* animaduertantur: saepius tamen & frequenterius eas cum magna atque adeo immodica vescendi auditate consociatas deprehendimus. Tales vero sunt, obstruktiones & scirrhi lienis (*a*), aut eiusdem putres corruptiones & abscessus (*b*), passio hy-

pochon-

(*a*) IVNCKERVS *Libr. cit. Tabul. XXXVIII.* (*b*) Guit. BAL-  
LONIVS *Epid. & Ephemer. Libr. I p. 6t.*

pochondriaca (*c*), fluxus hepaticus (*d*), atrophia (*e*), rachitis (*f*), oppilationes, scirrhi aut abscessus mesenterii (*g*), melancholia (*h*), febris tertiana (*i*), & quartana (*k*), infarctus & obstrukiones pancreaticas (*l*), lienteria (*m*), diabetes (*n*), vermes in intestinorum sentina hospitantes (*o*), pluraque alia id genus mala, quae si autumem hoc loco omnia, Dissertatione facile mea iustum modum excederet.

§. XXX.

Si igitur has iam allatas corporis aegritudines aliasque, quibus vplurimum, nisi ingens atque insatiabilis quidem, tamen satis vegeta vehementer que aucta cibi cupiditas comes haerere consueuit, exactius paullulum pensitemus, spectatissimum erit, in iis omnibus, si a lumbricis seu intestinorum vermis discesseris, labem quandam, siue ea infarctus quidam sit, siue obstructio aut induratio quaedam, occultatam delitescere. Quis enim est, qui nesciat, in atrophia glandulas mesenterii obstructas esse, nec

F 2 eas.

- (*c*) IVNCERVS libr. cit. Tab. XXXVI. (*d*) GALENVs Libr. V. de loc. affect. cap. VI. HOLLERIVS Libr. I. de morb. intern. cap. 45. (*e*) GOHLIVS Comp. prax. clin. Libr. IV. cap. V. (*f*) idem Libr. cit. cap VI. (*g*) BONTIVS de Med. Indor. obsf. II. (*h*) FERNELIVS Libr. II. Pathol. cap. XVI. (*i*) IVNCERVS Libr. cit. Tab. LXXIX. (*k*) Idem cod. Libr. Tab. LXXX. (*l*) Frid. HOFFMANNVS Med. rat. system. Tom. III Sect. I. cap. VII. § XXXVI. (*m*) GALENVs Libr. VI. de loc. affect. cap. III. GOHLIVS libr. cit. Libr. VI. cap. XXI. (*n*) Iob. de GORTER Libr. cit. Exercit. III. §. XLII. (*o*) LOMMIVS Observ. medic. Libr. II. p. 173. Frid. HOFFMANNVS Libr. & Tom. cit. Sect. I. cap. VII. §. LIII.

easdem in rachitide a simili vitio immunes existere? tametsi in hac aliorum quoque viscerum & corporis partium offendentes & laesiones non excludam. Et quis dubitabit de eo, quin in hypochondriaco malo, praesertim altiores si iam egerit radices, spissioribus liquidis vitalibus in iecinoris abditis, nisi iter intercludatur, certe tamen mora atque impedimentum iniiciatur, quo minus satis expedite & sanitati conuenienter per vasculosam hepatis texturam permeare & transire queant? Neque in febribus, tertiana & in primis quartana, maxime si diutius durauerint, & acriore cibi adpetentia fuerint comitatae, abdominis viscera ab omni labe sunt immunia, id quod etiam de ceteris morbis, velut diabete, lienteria, melancholia morbisque spleneticis, si cum ingenti vorandi adpetitu coniuncti obseruantur, vallet, quippe in quibus tunc itidem viscera de suo naturali statu deturpata & labefactata sunt, quemadmodum id planius ac dilucidius expedire nihil foret negotii, si singulos hos deinceps morbos hoc loco persequi placeret.

### §. XXXI.

Primariis proinde illis etiam morbis, quos esuritio vehementior plerumque comitatur, quoad eius fieri conuenit, lustratis & intellectis; partium quoque erit mearum tradere, qui illis, in huiuscmodi morbos implicitis, tanta modum excedens edendi auiditas nonnunquam concitari queat, & a qua potissimum causa humanae menti incutiatitur? sed magnum inter Doctores de fomite & ignitabulo, quo

quo eiusmodi auctior fames animae accendi solet, est dissidium, dum multi succum acidum, nescio quem, corrosuum, in ventriculo haerentem, accusant (*p*); alii ad bilem configuiunt porraceam & aeruginosam, cuius tamen stimulandi vim laudatus iam Auctor, si forte cibi adpetitum concitare valeret, similiter acido cuidam in ea latitanti vindicare conatur. Quidam non erubescunt nimiae famis causam in spiritum quendam esurinum & famelicum, qui acidae indolis esse dicitur, conferre. Aliorum alia rursus est sententia de bulimo. Omnes vero tum veterum, tum plurimorum recentiorum opiniones eo redeunt, acerrimum quoddam acidum in stomacho esse reconditum, quod sua mordacitate papillis nerueis vim inferre, easque ita in motum concitare narratur. Si caussam requiris, cur istam voracitatem culpae & vitio dent cuidam acido, in ventriculi interioribus stabulanti? potissima eorum sunt argumenta: quia multo longoque vsu atque experientia cognitum, acidorum eam esse virtutem, ut torpentem ventriculum irritando, seu vellicando, suscitarent, hocque pacto cibi adpetitum augerent ac intenderent; deinde itidem obseruationum fide esse compertum, illos homines, qui bulimia tentantur, aliquando, iejuno stomacho, vomentes, successos vomitu reicere vsque adeo acidos, ut fauces etiam inde arroderentur. Neque diffiteor, allatas rationes prima facie admodum speciosas veroque similes videri, sed exquisitioni examine perpenfas,

F 3 omni-

(*p*) ET MÜLLERVS Collig præf. de morb. corp. hum. p. 103.

omnino pluribus esse difficultatibus obstruetas, quas  
heic expromere dedita opera supersedeo, suam cui-  
que sententiam relinquens, quum haec mea qualia-  
cunque de nimia esurie placita nemini obrudere,  
sed sagacioribus duntaxat illisque, qui iustum veri-  
tatis statuere pretium sciunt, expendenda & diiu-  
dicanda tradere constituerim.

### §. XXXII.

Verum enim vero quum is nihil praecipua qua-  
dam laude dignum efficit, qui ea, quae iam inde a  
multis, non dicam, annis, sed aevis statuta, plerisque  
Doctorum recepta & in re medica velut ciuitate sunt  
donata, reiicit; nisi forte præclariora, certiora atque  
experientiae fulcris innixa adferat ac in eorum locum  
sufficiat: mei quoque erit officii, repudiata ista an-  
tiquata opinione de Bulimia, quae complurium  
animis etiamnum insidet, hoc loco aperire, a quibus-  
nam ego tandem caussis credam bulimum, seu vehe-  
mentiorem istam famem, animantibus in supra dictis  
morbis exoriri? Ex iis, quae ante perhibui, haud  
obscure liquebit, me nec acido cuidam, nec bilioso  
latici, neque mutuo illi parietum ventriculi adfrictui;  
sed succo potissimum gastrico & saliuæ, famis natu-  
ralis incitationem adseruisse. Quo circa nec in illis  
morbis, quorum mentio est facta, dubito, morbosam  
atque intemperatam esculentorum cupidinem *bu-*  
*mori gastrico* acceptam referre. Quo enim copio-  
sius ille atque abundantius secretus stomachi interio-  
ra alluerit, eo etiam acriorem atque intensiorem es-  
tandi cupiditatem homini esse conciliaturum, nemini

ni dubium erit, pensitatuero, causa quadam alicuius effectus incremente & ingrauescente, necesse omnino esse, ut & hic similiter inualeat seu au<sup>t</sup>ior euadat. Meum igitur sentio futurum, illustriore declaratio- ne omnium mentibus & oculis subiicere, quomodo in praedictis morbis, quibus persaepe eiusmodi intemperans fames se praebet comitem, gastricum liquidum copiosius affluentiusque ad ventriculum ruere, ibidemque secretum eius penetralia subire possit.

§. XXXIII.

Quo igitur haec clarius intelligentur velutique oculis iudicentur, illam mechanico-hydraulicis principiis innixam legem, (quae vel ad animalium corpora eatenus omni iure accommodari potest, quatenus stupendae multitudinis vasis contexta sunt,) hoc loco dicendis praestri oportet, qua constat: si in uno pluribusue canalium inter se connexorum & communicantium, liquidis per eos transituris obstaculum seu praepedimentum obiicitur, ita ut his in illos via, vel tuncunque impedita & difficilis, vel plane nulla patet, ea, obseptis sibi itineribus, continuo ad alios vicinos & peruios tubos, seu ramos, maiore copia ruere eosdemque intrare. Idem hoc vasis corporis humani sanguiferis eodem modo vsu esse venturum, visceribus eius vel infarctu quadam obseptis, vel omnino obstruetis, aut scirrho aliae quadam labe affectis, nemini dubium erit, aequa animi lance pensitatuero, corporis nostri vasa nihil nisi eiusmodi cavales esse, quorum admirabilis quaedam continuatio

series.

seriesque est, vt alius ex alio adnexus & omnes inter se apti coniunctique videantur (q). Iam vero quum supra enodatius explicauerim, ventriculum vasorum nexus variis, quae in abdomine conclusa delitescunt, visceribus, velut hepati, pancreati, spleni, omento, mesenterio, &c. esse adnexum ac deuinctum; facile mente poterit comprehendendi, vno alteroue eorum ita labefactato, vel de naturali suo statu deiecto, vt sanguis expedito suo facilique per eadem itinere prohibeatur, illum abundantius ad vicinos sibi vasorum ramos, qui potissimum ventriculo de liquidis vitalibus prospiciunt, esse ruiturum. Cruore autem cumulatius ventriculi membranas interluente, liquorem illum quoque gastricum, qui famem naturaliter extimulat, yberius affluentiusque a sanguinis consortio fore feceslurum inque stomachi compluuium confluxurum, id ita erit cuiuis perspicuum, vt dubitari nefas sit. Atqui quum porro plane & dilucide isthic expediuerim, eidem saliuoso latici, quem stomachi interiores pori perpetuo exsudant, (dummodo non plane iners fuerit atque effoetus, sed sufficiente nerueas papillas afficiendi efficacia praeditus,) famis incitationem potissime acceptam esse referendam: vel ex his similiter clarissime elucebit, hoc stomachi succo largius effusiusque iam a sanguine separato, deinde in ventriculum delato & commemora-  
tas neruorum papillas expeditius promptiusque agitante, ipsam quoque famem multo acriorem esse euafuram ac vehementiorem.

## §.XXXIV.

(q) BOERHAAVIUS *Tract. de virib. med. cap. I. §. 2. 6.*

§. XXXIV.

Sed delibemus quosdam ex ipsis morbis, quibus  
haud insolenter eiusmodi deuorandi auiditatem eue-  
nire ante scripsi, ut iam traditae nimii adpetitus ra-  
tiones per eos explicatiōes atque illustriōes prode-  
ant. Ab uno enim & altero accuratius explanato  
satis possumus discere, quemadmodum in ceteris  
morbis, quorum ibidem mentio ante facta est, ex  
impedito cruris per reliqua abdominis viscera cir-  
cuitu, aegrotis eiusmodi morbosā famē conflari  
queat. Si igitur veram caussā, cur illi homines,  
qui exempli caussā, splene oppilato vel scirrho occu-  
pato laborant, adeo famelici sint atque edaces, scisci-  
temur, non aliam tantae cibi auiditatis nobis inueni-  
re licet, quam quod sanguis, per arteriam splenicam  
ad pulsus & vasa huius visceris occlusa transire im-  
peditus, ad proxime sibi obuios alios huius arteriae  
ramos, (qui, praeter arterias pancreaticas, sunt sic  
diēta gastrica sinistra & vasa brevia arteriosa, quid?  
quod ipsa arteria hepatica eiusque propagines,) re-  
dundat eosque copiosius implet. Hinc non aliter  
fieri potest, atque ut, ventriculo iam maiore sanguini  
copia inundato, quam pro consuetudine & neces-  
itate, longe etiam vberior & adfluentior liquoris ga-  
strici quantitas inde secernatur & stomachi cauo in-  
fundatur; qui ita huius papillas nerueas aerius soli-  
to & iusto titillans inque motum concitans, hoc pa-  
sto humanae menti vehementius edendi desiderium  
incidit.

G

§. XXXV.

## §. XXXV.

Eodem fere modo illis, qui sic dicta hypochondria-  
ca affectione conflictantur, impensiorem cibi adpeten-  
tiam videmus vsu venire. Quodsi enim sanguini, per ve-  
nae portae truncum adportato, impedimentum vndeli-  
bet iniiciatur, quo minus satis libere & prompte per ie-  
coris vasā permeare & transire possit; aut si omnis per  
eadem transitus eidem denegatur, crux hic, in venis  
mesaraicis moram faciens, aut omnino subsistens, officiet  
seu impedimento erit illi sanguini, qui per arterias me-  
sentericas tum superiorem, tum inferiorem, a tergo vi-  
cordis systatica adurgetur: sic ergo, venas mesaraicas  
ingredi prohibitus, ad maxime propinquos arteriae aor-  
tae ramos, velut ad coeliacam, renales & spermaticas ar-  
terias, vt refluat seu regurgitet, necesse est. Iam vero,  
quum ex antecedentibus perspicuum sit liquidoque con-  
stet, a dextro coeliacae ramo arterias pyloricam &  
gastricam laeuam & vasā breuiā; & ab ipso coeliacae trunco  
coronariam ventriculi dimissas, ad stomachi sepes con-  
tendere, quibus in innumerabilibus surculis intertextae  
spectantur: intellectu erit facilissimum, coeliacae ramis  
maiore sanguinis vberitate iam obrutis, ipsa etiam per  
ventriculum disseminata vasā adfluentiore crux mole  
pari modo fuisse inundata. Quae quum ita sint, nem-  
ni sane mirum videbitur, cur eiusmodi aegrotantes sub-  
inde adeo esuriant cibisque inhient, ne vlo quidem,  
quantumvis minimo, acidi cuiusdam vestigio in stomachi  
cauo saepius comparente. Neque arduum mihi foret,  
singulos supra indicatos morbos deinceps percursuro, de-  
monstrare, qua etiam ratione illis tanta vescendi cupido  
iden.

identidem conflari possit, si usus esset: verum quum ex hisce duobus morbis abunde cognosci queat, qui in cunctis ceteris morbositis calamitatibus huiusmodi enormis fames nascatur, operam lusurus mihi videor, ea declaratum hoc loco iturus, quorum expedita est & facilis cognitio.

§. XXXVI.

Ne quis autem hanc meam immodicae & nimiae famis explicationem commentum quoddam lascivientis habeat ingenii, sed eam compluribus rerum testimoniiis atque experimentis, in viuis canibus adornatis, exstructam esse perspiciat, nostra plurimum refert, illa phaenomena in praesenti paucis expromere, quae a *Ioan. Conr. BRVNNERO* in permultis canibus, post pancreatis exstinctionem diu superstibus, obseruata sunt, quia veritatem nostrae sententiae plurimum confirmant. Deprehendit vero laudatissimus hic Vir in omnibus his animalibus, quibus commemoratam partem exquisito artificio excidit, ea, ablato atque extirpato pancreate, semper postmodum magis famelica & voraciora fuisse, quam antea (r): cuius causam in pancreatis succum iam deficitem, quia cysticae bili adfusus eius acrimoniam & vellicandi modum temperare fertur, coniicit. At vero quum tanta haec vorandi cupiditas eiusmodi canibus pancreate priuatis, quamvis valentissimis & sanissimis, tamdiu permanserit, quamdiu superstites fuerunt; supra vero iam grauissimis argumentis exstructum fuerit, tantum abesse, vt biliosa in duodenum effusa illuies famis sit incitamentum, vt nec in sanitate ventriculum in-

G 2 trare

(r) *Experiment. nou. circ. pancer. Exper. III, IV, V, VI.*

trare valeat, nisi forte inuerso motu peristaltico, qui tam aliquid praeter naturale foret, eo exturbata, ob valvulam pyloro inhaerentem ipsique obstantem: maiori iure istam voracitatem, quae eiuscmodi canibus ab exercito pancreate superfuit, ipsis sanguiferis canalibus, hoc viscus irrigantibus cumque arteriis pylorica, duodena illa, quae proles est gastricae dextrae (*s*), & potissimum cum splenica (*t*), connexis, acceptam referimus. Pancreate enim, quod corpus glandulosum haud sane exiguae molis est, execto, sanguini, illud antea subire solito, necessario est in confinia iam indicata vasa reuertendum, quae sic vberiore crux vi inundata, quum ventriculo de sanguine prospiciant, maiorem quoque eius copiam stomachi tunicis adferent. Largior ergo quoque gastrici liquoris secretio in ventriculo ut fiat, necesse est, qui proinde in ventriculi recessus interiores delatus, famem etiam impensiorem prouocabit.

### §. XXXVII.

Verum enim vero nostra de immodica fame sententia, cui nihil obscurum, nihil a veritate alienum inest, longe magis iis illustratur atque omni dubitatione eximitur, quae in ipsis canibus, quibus lien artificiosa & felici est extirpatione dempta, deprehensa sunt. Constat enim, splenem canibus, felibus aliisque animantibus in Anglia primum ingeniosa operatione innoxie excisi coptum fuisse. An IOLIVIVS primus fuerit, ut aliquibus persuasum, qui animalia suo liene spoliasse scribitur; & an RIORAVANTIVS eundem vetulae mulieri felici euentu,

vt

(*s*) WINSLOVIVS Tom. cit. *Trait. des arter.* §. 186. (*t*) Ibidem §. 192. & *Trait. du bas. ventr.* §. 325.

vt creditur, vnquam exemerit, ea hoc loco perquirere nihil attinet, neque Dissertationis magnitudo permittrit. Quapropter illud duntaxat heic meminisse sufficiet, haec experimenta a multis atque egregie doctis Viris, qui magnam sui famam reliquerunt, velut a *Philippe HAC-QVART, MALPIGHIO, BOHNIO, RVYSCHIO, MORGAGNO, VALLISNERIO, HEISTERO*, aliisque felicissimo successu in diuersis animalibus fuisse tentata. Inter omnes vero, qui eiusmodi anatomica experimenta instituerunt, si forte a paucis quibusdam discesseris, conuenit, cunctos istos canes, a lienis excisione, semper multo vehementiore atque immoderatione vorandi cupiditate, quam antea, incensos fuisse, ita vt vix exsatiari potuerint, quae ipsis tam diu permanisse obseruata est, quam diu viui & superstites fuere. Quid? quod, praeter enormem istam, qua diuexantur, voracitatem, non solum longe etiam falociores venerisque adpetentiores; sed vrinam quoque multo copiosiorem magisque aquosam, seu tenuem, id que crebrius & frequentius, quam antea solebant, reddere obseruantur (*u*). Quibus proinde experimentis quid potest esse clarus, quid testatus, quam quod ingens ista cupiditas, qua eiusmodi bestiae, quibus pancreas aut lien exsecando fuit ablatus, ad vescendum velut impetu quodam rapiuntur, soli largiori liquoris

G 3 gastris

(*u*) *BONETI Sepulchr. Anat. Tom. II. Libr. III. Sect. II. in appendice obs. VII. subnex. BOHNIVS Circul. Anat. physiolog p 248. MALPIGHIVS de Liene, cap. VI. VALLISNERIVS Ephemer. Acad. N. C. Centur. III. obs. XXX. HEISTERVS Ephem. N. C. Centur. IV. p. 468. & Centur. V. obs. XXV. p. 233. BOER-HAAVIUS Instit. med. §. 327.*

gastrici a sanguine, abundantius iam ad ventriculum adfluentem, secretioni potissimum attribuenda sit, nullo accido quodam, nec bile in ventriculo eorum deprehensis.

§. XXXVIII.

Quodsi enim quis ex me illum requirat modum, quo vel his quadrupedibus, exento liene, impensior edacitas conflari queat? is sciat, sanguinem a cordis visfaltica in coeliaca arteriae ramos impulsu, quum, extirpato liene, idem hoc viscus intrare nequeat, affluentius in ventriculi arterias, utpote sibi vicinas proximeque obuias, ruere. Hinc ventriculo non maior solum & vberior liquidi gastrici copia, sed efficacior etiam mouendi potentia ut accedat, necesse est: quae quum praecipuae tum famis, tum concoctionis existant effectrices, euidentissimum erit, vnde eiusmodi animantibus, splene suo orbatis, tanta voracitas veniat. Sed si ex me causas etiam sciscitari pergas, quam vero ob rem iisdem canibus, ab exciso liene, crebrior solito & copiosior vrinæ, & quidem limpidae, mihi euenerit; item, quare eos tam immoderatus coquendi appetitus ceperit? en! habet eas paucis quidem, sed scopo nostro sufficienter, ex iisdem principiis similiter explanatas. Quara arteriae coeliaca rami, supra fusiū enumerati, non tantam crux vim & molem, quantam lienis viscus capere solet, hoc parenchymate iam sublato, soli continere & coercere valent, ideo haud exigua quoque eius pars arteriis renum emulgentibus, quae exiguō intervallo a coeliaca disiunctae sunt, dispertitur: quae hoc pacto, quum nunc maiore sanguinis vbertate, quam antea, liene nondum exsecto, inundatae sint, adfluentiorem quoque eius multitudinem reni-

renibus infundunt. Lotium igitur in his omnino a sanguine redundantius, quam antea, secerni oportet: unde est, cur saccatus hic humor & citationis multo, & abundantior ad vesicam deferatur ac deinde reddatur. Iam quoque expeditissimum erit identidem cognoscere, unde iisdem canibus tam vehementior coëundi concitetur libido: eadem quippe largioris geniturae secretionis hic est ratio, quae mictus fuit frequentioris. Si quis enim modo ortum spermaticarum arteriarum, coeliacae itidem satis vicinum, perpendere, nullo negotio perspiciet, quid causae subsit, cur vel his arteriae aortae propaginibus, defecto liene, plus sanguinei liquidi illabatur, quam antea, eodem intacto atque inuiolato abdominis cauitati inherente. Piget ideo taedetque hic denuo repetere, quae per se satis manifesta, iamque in antecedentibus enodati explicata legi possunt.

§. XXXIX.

Quum itaque nostra de impensiori cibi adpetitu sententia tam plurimis, tam grauissimis certissimisque documentis & obseruatis, quae experientiae fulcris innittuntur, vsque adeo testata sit & ab omnium reclamacione vindicata, ut etiam illis, qui acido aut bili alias patrocinari consuenerunt, etiamsi inuitis, tacitum suum assensum, non dico elicitura, sed velut extortura mihi videatur: liquido iam cuiuis adparebit, quam ob causam supra in argumentis eorum infirmandis & conuelendis, qui acidam quandam biliosamque faburram, quae ventriculum onerando irritare traditur, solam veram auctoris famis caussam agnoscunt, non multus fuerim. Quid enim opus est compluribus verbis & rationibus,

multa

multa sedilitate vsque quaque conquisitis, vbi rerum testimonia adsumt? Si quis autem nihilominus haec, quae huc vsque de genuina immoderatioris famis, in supra commemoratis morbis, caussa attuli, in dubium vocaturus sit, illi duntaxat acriori iudicio perpendendum commendauero, quemadmodum fieri possit, vt eiusmodi canibus, pancreate aut liene radicitus exstirpatis, acidum quoddam tantae mordacitatis liquidum in ventriculo nascatur? Neque, quomodo idem omnibus ceteris, quae in illis bestiis deprehenduntur, phaenomenis explanandis satisfacturum sit, excogitare possum, vt reliqua longe maioris momenti argumenta, quae hanc opinionem infirmant & diluunt, consulto tacitus praeteream. Quae vero difficultates illam de acido quodam in ventriculo latitante fermento premunt, eadem quoque isti hypothesi aduersum tenent, quae biliosae cuidam elunie intensiore famem adserit. Libet enim sciri, qui ab lienis exstirpatione copiosior bilis prouentus ventriculum inundare valeat, quid? quod qua via in eiusmodi aduersa valetudine, vbi hepatis viscus infarctum, oppilatum aliae ratione fuerit laesum, (vbi proinde bilis secretio, nisi omnino omissa, certe tamen vsque eo extenuata atque imminuta est, vt parum arque adeo exiguum eius ad duodenum deferri inque stomachum redundare queat,) vehementior escarum adpetentia oriri posit. Quae qui aequa animi lance pensitauerit, haud difficile perspiciet, quid eiusmodi opiniones habeant argumenti, quamque infirmis & ficalneis sint fulcris suffulta.

§. XL.

§. XL.

Sed dicat aliquis, confessae veritatis esse multoque vsu satis compertum, omnium esse acidorum, languentem & prostratum cibi adpetitum, si huiusmodi aegrotis eo tentatis adhibentur, exstimulare. Deinde itidem Observatorum fide exploratissimum esse, hypochondriacos, melancholicos & subinde etiam spleneticos, in quibus viscerum, abdomini inclusorum, quaedam labes & ruina deprehenditur, persaepe non ructus modo acidissimos emittere, sed vomentes magma quoddam similiter perquam acidum vomitione eiicere. Hinc fidei non esse absonum, incitamentum nimiae & praeternaturalis famis vtique acidum quoddam esse. Quod ad primam attinet obiectionem, ipsimet suscipimus, acida, opportune & moderate data, aliquando *κανοσόπαχοις* vescendi adpetentiam expeditiorem conciliare, tunicis nimirum ventriculi flaccidis & iusto tono seu robore destitutis, vbi fibras eius blande adstringendo & roborando amissum adpetitum restituunt, aut si ille nimio ciborum, ad alcalinam indolem & putredinem valde proclivium, vsu languescat. Qui vero inde statim efficere sustineret, esuri caussam acidum quoddam esse, is profecto, quum a particulari ad vniuersale concludat, haud obscure ostenderet, parum se praeceptis sanæ logices esse instructum: quia itidem multo vsu atque experientia compertum est, torpem atque adeo infarctam epulandi cupiditatem nullis remediis validius, quam iis, quae amarissimi saporis sunt, subinde excitari. Hinc quoque esse arbitror, cur nonnullis persuasum sit, ventriculum ad cibi auditem a bile regurgitante stimulari & concitari. Quid?

H

quod

quod nec adeo rarum est, deletam seu extinctam famem remedii alcalinis & absorbentibus interdum denuo incendi posse, quando videlicet a multis cruditatis acidis, in stomacho stabulantibus eundemque excruciantibus, fuerit abolita. Quapropter eodem iure aliquis inde colligere posset: quia alcalina medicamenta prostrata famem subinde reuocare & restituere valent; ergo incitamentum eius similis indolis & naturae esse, necesse foret.

## §. XLI.

De ructibus vero atque adeo vomitibus istis, acidis, quibus hypochondriaci & hystericae nonnunquam obnoxii esse deprehenduntur, itidem accipimus, eos qui dem subinde eiusmodi aegrotis accidere, verum tum denique, si alimentis, ex penu vegetabilium potissime de promptis facileque acescentibus, sese largius iusto ingurgitauerint, sicque ventriculum, malis istis iam iam magis inueteratis, obruerint, vbi omnino tunc ista vegetantia, in calido & humido stomacho conclusa & fota, suam sequuntur naturam, hoc est, in amurcam quandam plus minusue acidam abeunt, quae ventriculo deinde quomodocunque, siue premendo, siue irritando & vellitando, vim inferens, fibras eius musculares in motus spasticos concitat, vnde illae lacrymae. Quod si vero contra iidem cibis, ex animali regno porosissimum petitis, in dies fere vsi fuerint, aegrotos hosce haud quamquam de acidis, sed potius de ingratis, nauseosis velutque putridis ructibus & vomitionibus, conquerentes videbis. Sin autem plura pinguia & oleosa, quae ex suo ingenio facile rancefcunt inque acre quoddam liquamen fatiscant, suis

suis ferculis intermisenda, sibique in mensa curauerint debito crebrius adponenda, neque acida, neque solo putrido sapore imbura eructant, sed ructibus amarissimis & vehementer vrentibus, quin imo eiusdem indolis & saporis vomitionibus, haud insolenter & raro adfliguntur. (x). Quibus idecirco argumentis, ipsa luce clarioribus, cuius perspicere licet, tantum abesse, vt acida ista colluuius, in hypochondriacorum & spleneticorum stomacho subinde obvia & acidis istis ructibus, quos emittunt, se prodente, vel vomitu indidem excussa, cibi cupiditatis sit incitamentum, vt potius, experientia teste, copia largiore in ventriculo collecta & accumulata, famem omnino exstinguat pluribusque stomachi incommodis ansam praebeat.

§. XLII.

Operae pretium puraui, aliquibus duntaxat rationibus cuius oculis subiicere, quid argumenti eorum habeat opinio, qui, quemadmodum generatim famem ordinariam, ita quoque eam auctiorem atque immoderatorem, liquori acido aut bili, ventriculo inhaerenti, vindicare non erubuerunt. Non diffiteor, longe plura eiusdem valoris documenta, quibus hypothesis haec refutari potest, adferre me valuisse; sed, quoniam propositi ratio mihi erit habenda, ad illa reuertar, quae me magis mouent. Quum hactenus, vt mea fert opinio, compluribus obseruatis atque experimentis demonstratum dede- rim, quo ex fonte porissimum bulimus in variis corporis calamitatibus profluxerat; occurreretur nobis ab aliis doctis & eruditis, quibus forte nostra de eo sen-

H. 2

tentia

(\*) BOERHAAVIUS Praelect. acad. Tom. I. §. LXXVI.

tentia etiamnum dubia videretur, dicentibus: si impeditus cruris, per viscera abdominis quoquo modo laesa vel labefactata, progressus in causa foret, cur cibi appetitus in praedictis aegrotationibus increbesceret, ex ante dictis sequi debere, ut his etiam aegrotis cetera, quae experimentis istis in canibus deprehensa sunt, velut crebrior & largior vrinae eiusdemque limpidae & aquosae, excretionio, deinde etiam acrior rei venereae cupiditas, eodem modo acciderent. Verum vrad speciosa haec dubia breuiter respondeam, scire primum oportet, rarissime, si forte vnam, viscus quoddam usque adeo penitus atque ex omni parte occludi, ut cruris nullus omnino per illud amplius pateat transitus; sed utique complura in eodem restitare vasa, quae adhuc patula & liquidis, in motum circularem actis, satis peruvia sunt, per quae, quantumuis ceteris innumerabilibus in eodem viscere vndeunque infarctis aut plane obstructis, iter suum expedire valent. Ergo illa duntaxat cruris copia, quae, florente sanitate, canales iam oppilatos peruvadere solebat, accessu horum prohibetur, & ad propinquos eiusdem trunci arteriosi ramos repellitur. Ex quibus proinde non sane obscurum erit, cur hominibus, in aliquem ante nominatorum morborum implicitis, haud quaquam tanta mingendi crebritas contingat, quantum in bestiis, quibus integra viscera singulari artificio funditus ablata sunt, deprehendimus.

## §. XLIII.

Interea negari non potest, complures ex dictis morbis esse, in quibus similiter vrina satis diu tenuis & aquosa ferri animaduertitur, argumento omnium oculis testiori, in iisdem quoque sanguinem, ab expedito in viscera occlusa

clusa ingressu impeditum, ad renum vasā adfluentius rece-  
dere eaque inundare, velut in scirrhosis lienis obstructioni-  
bus (y), in hepatis oppilatione (z), in malo hypochondriaco (a), in hysterica passione (b), iecinoris infarctu (c),  
melancholia (d), aliisque viscerum & vasorum obstruc-  
tionibus (e), quibus bulimia plerumque iuncta spectatur.  
Quemadmodum vero edendi cupiditas in uno eodemque  
supra adductorū morborum modo acrior existit atque  
intensior, modo temperatior & remissior: ita quoque lo-  
tii excretio non semper eadem in morbo cerni-  
tur; alias enim copiosius magisque limpidum & aquosum;  
alias minus copiosum, neque adeo tenue redditur. Cuius  
si quaeras causam, non verior vlla mihi videtur alia, quam  
quod sanguis, prout viscus quoddam plus minusue fuerit  
infarctum vel oppilatum, sicque iter ipsi ad & per istud  
obseptum, largius quoque & abundantius, vel parcius ad  
vicina aliorum viscerum vasā sit redundaturus, pro cuius  
igitur copia ipsae secretiones atque excretiones in iis va-  
riant. Iam denique meum quoque foret ostendere, an  
eiusmodi aegrotantes veneris cupidiores reddantur, quam  
antea valetudinis prosperitate vbi? at vero qui cogitate  
expenderit, id tantummodo sanorum & optima valetudi-  
ne frumentum esse, nequaquam vero eorum, qui morbo-  
rum acerbitate viribus iam exhausti fereque confecti sunt,  
is ad eiusmodi ridiculum argumentum, in contrarium ad-

H 3 ductum,

(y) LOMMIVS Libr. cit. Libr. II. p. 191. & 192. (z) idem libr. cit.  
p. 184. (a) FR. HOFFMANNVS Libr. cit. Sect. I. cap. XIV.  
§. XII. & XIII. (b) IVNCKERVS Libr. citat. Tab. XXXVI.  
(c) HOFFMANNVS ibid. (d) IVNCKERVS, Libr. cit. Tab.  
XXXIX. (e) HOFFMANNVS libr. & l. cit. BOERHAAVIVS  
Aphor. §. 1109. (f) BOERHAAVIVS, Instit. medic. § 997.

ductum, vel me tacente, facile respondere poterit, ut idcirco ei hoc loco immorari nihil adtineat.

§. XLIV.

Quanquam vero huc usque variis, qua observationibus, qua experimentis rationibusque, veram bulimiae causam in omnibus istis morbis demonstrauerim, qui suam debent originem impedito liquidorum vitalium per viscera, quae in abdominis interioribus absconduntur, progressui: noli tamen existimare, non esse vias eius alias, praeterquam illam, cuius memini, caussas. Namque plurima sunt atque in monumentis, quae ab egregiis & doctis Viris literis consignata exstant, disperse obvia exempla, ubi immodica eiusmodi ciborum adperentia ex aliis quoque incunabulis prodiisse legitur. Supra quippe iam haud obscure indicaui, nimiam eiusmodi edacitatem vel illis deprehendi solennissimam, quorum ventriculus & intestina vermbus obsessa deprehenduntur. Quapropter neminem confido adeo inuercundum, adeo iniquum, meae de bulimo sententiae fore existimatorem, ut sibi persuadear, me huius quoque voracitatis caussam interturbabo ac praepedito sanguinis per ista viscera meatui attribuere; quam iam supra prae me ruli, illam bulimiae speciem, verminibus familiarem, longe alii caussae, atque impedito & retardato liquidi purpurei per viscerum vasa cursui, in acceptis esse referandam. Vtrum vero ingrati hi hospites, in interioribus dictarum partium recessibus insidentes, tantam vorandi auditatem aegris conflent, tunicas earum nerueas admordendo & vellicando; an vero delibatissimum chyli in ventriculo confecti florem absumento, an utroque modo? de eo nondum inter omnes Doctores conuenit.

uenit. Quo etiam nomine ETMÜLLERO dubium fuit, an vermes soli nimiam istam vicitandi auiditatem inducere valeant, sibique habet persuasum, in ipsa intestinorum sen-  
tina, praeter illos, pariter acidum quendam esurinum suc-  
cum latitare occultatum, cui ista maxime veniret adsignan-  
da (g). §. XLV.

Verum praeter illam comedendi intemperantiam, a vermis subinde aegris concitata, Observatores complura insuper alia adferunt insatiabilioris famis exempla.  
Sic RUVSCHIUS obseruationem inexplebilis esitandi in medium profert cupidinis, quam a pyloro praeter natu-  
ram relaxato ortam esse adfirmat, quippe quo ingesta iu-  
sto citius & prius in intestina exiuerint, quam a ventricu-  
lo subigi inque lacteum cremorem mutari potuissent (b).  
Aliud quoddam cyclopiae famis exemplum in quodam,  
cui ventriculus, ingentis magnitudinis, crurore ad medium  
repletus fuerit, recenset Gerard. BLASIVS (i), cuius tamen  
in cadavere post obitum sperto, praeter pulmones hinc  
inde purulentos, hepar quoque variis locis valde indura-  
tum reperit: vnde credit, istam bulimiam a fermentatione  
sanguinis extrauersati fuisse profectam; quum tamen, vt  
vere dicam, haec insaturabilis auiditas epulandi multo sa-  
tius & naturae rei congruentius ex nostris, quae supra sta-  
biliuimus, principiis explicari posse mihi videtur: maxi-  
me si illam in ventriculi cauum effusam crux quantita-  
tem respiciamus. Notabilem quoque casum, ex CABRO-  
LII Obseruationibus depromptum, refert BONETVS, de di-  
ra quadam fame, a vitiata stomachi & intestinorum, anfra-

ctibus

(g) Libr. & loc citat. (b) Obseruat. anathom. obseruat. LXXIV.  
(i) Obseruat. anathom. p. 122.

Etibus carentium, figura ortum trahente, vbi oesophagus amplae cuidam capacitati, maximaec cucurbitae fundo similimae, quae ventriculi loco erat, insertus fuit, a qua unicum intestinum, vix quatuor spithamas longum, sine ullis circumvolutionibus, ad anum descendit (k). Idem quoque permiram alicuius pueri, ciborum adpetentissimi, observationem tradit, cui inexplebilis fames a caterua pedicularum, in ventriculo nidulantium & alimenta absumentium, concitata est. Et profecto mihi esset metuendum, ne Dissertationio haec iustum modum excederer, innumerabilia illa obseruata, quae in scriptis Medicorum passim occurruunt, huc si transferrem. Abunde enim mihi potest esse, hisce commemoratis animaduersionibus commonistrasse, praeter istam bulimi caussam, quam ante dedi demonstratam, plures alias eius esse posse.

§. XLVI.

Denique nihil reliqui mihi forer, nisi ut enodatus quoque exponerem, qua via βέλημος identidem in κυνογεξαν abire queat, & quid caussa sit, quam ob rem in illa cibi audissime deuorati in ventriculo remaneant, & citatore concoctione dissoluantur: in hac vero non ita multo post, ventriculo alimentis vel mediocriter solum expleto, vomitu relicantur. Verum enim vero quum tam expedita & facilis eorum sit explicatio, ut nullo fere negotio ex illis, quae supra plane & perspicue expediui, vel me silente, satis intelligi possint; Dissertationis porro magnitudo non permittat, ut omnia, quae in hanc rem dici queant, in praesenti persequar: complicatis sermonis mei ve- lis, portum respiciam finemque dicendi faciam.

T A N T V M.

(k) *Libr. & loc. cit.*

VIRO PRAECLARISSIMO, DOCTISSIMO  
**MARTINO CHRISTIANO**  
**NIEFELD,**  
CANDIDATO LONGE MERITISSIMO

NEC NON  
*FAVTORI ATQVE AMICO SVO*  
*AESTVMATISSIMO,*  
*FAVSTA QVAEVIS EX ANIMO PRECATVR*  
**F. G. P. SEIP,**  
M. C. Opponens.

**E**go vero, *AMICISSIME NIEFELD*, viridissimam laurum, qua quidem erudita frons Tua propediem circumdata renitebit, non gratuler? imo ad honores Tuos, quibus Te breui condecoratum videbo, iam pridem promeritos eosque praefulgidos, obmutescam? Sane, si id genus quidpiam admitterem, omni omnino suaui eidemque legitimo ac iusto voluptatis sensui Vale dixisse viderer. Indulgeas paullulum quaeſo, *CANDIDATE* doctissime, gestienti laetitiae meae, si forte prosperitatis Tuae dulcedine abrepta, non continuo refrenare queat luxuriantem suam ipsius indolem. Si quid video, illi demum errores facillimam impetrant veniam, qui quidem ex purissima candidi animi scaturigine promanant. Sed I baec

haec hactenus; non enim iam inter plausus communes quaerimus morosas quaspiam sententiolas. Venerio potius ad Dissertationem Tuam inauguralem, egregium illum quidem ingenii Tui foetum, in quo, quid primum quidque postremo laudandum depraedicandum censem, anceps plane atque incertus ambigo, ita, ut copia ipsa ad inopiam redigar. Praefat igitur, CANDIDATE dignissime, ea tantummodo breui comprehensione enunciare; quae quia plana sunt, aperta & in aprico posita, faciliter vel callidissimi cuiusque vituperatoris iniqua iudicia arcere possunt ac declinare. Iam vero quicunque Dissertationem Tuam vel fugitiuo, ut aiunt, oculo peruelutauerit, quicumque animaduerterit quam scienter, quam erudite Anatomiae, Physiologiae, Therapiae (at quales quantaeue disciplinae) initia penetralia reserueris, continuo fateatur necesse est, omnia in illa inquam Dissertatione doctrinae insignis laude esse confertissima, cumulatissima. Vides, AMICE AESTVMATISSIME, in quam angustum spatiolum laudes Tuas, ut iustissimas, coarctauerim, geographorum fere morem imitaturus, qui quidem maximas provincias in minutulis saepe designant plagellis. Quae quum ita sint, iure quodam meo iterum iterumque Tibi, CANDIDATE doctrinissime, gratulor splendidissima illa, quae eximiam manent eruditio nem Tuam, praemia. Ardentissima hisce adiungo vota, quae sincerissimo pectore pro incolumentate Tua perennante concipio. Efficiat summum Numen, ut in ipsis gloriam, patriae delicias, familiae splendidae solatium, denique in calamitosae aegrotantium turbae alleuamentum, quam

quam diutissime potiaris auspicatissima omnis generis  
prosperitate. Tandem, AMICE suauissime, onicum  
ad hoc abs Te oro rogoque, imo ab amicitia Tua posco,  
ut scilicet, quando moestus a Te Tuoque latere diuellor,  
etiam mibi absenti eam limpidadam voluptatem, quam  
semper ex acceptissima consuetudine Tua hausi, quoad  
eius fieri potest, serues intemeratam, id quod commo-  
dius effici nequit, quam si miki recipias, Te mente &  
cogitatione amicitiam nostram nonnunquam esse re-  
uocaturum. Vale milique, si merebor, faue. Da-  
bam in Salana nostra, pridie Nonarum April.  
MDCCXXXVII.

---

E, brich nun an erwünschter Morgen,  
Der meinem Schmerz und bangen Sorgen  
Das längst erwünschte Ende bringt!  
Dein heitner Glanz, der prächtig funkelt  
Und den kein schwarzer Duft verdunkelt,  
Belebt den regen Geist, daß er für Freude singt.

Ich kan bei meines Freundes Glücke,  
Das ich an diesem Tag erblicke,  
Gewiß nicht unempfindlich sein;  
Ihm ifts durch Fleiß und Müh gelungen,  
Dass Er den Doctorhut errungen,  
Drum muß Ihm Pflicht und Treu den besten Glück-  
wunsch weyhn.

Gesieb-

Geliebter! Glück und Wohlergehn  
Muß stets zu Deiner Seite stehn,  
Kein Unglück sei Dir je bewußt.  
Der Höchste mehre Deine Jahre  
Dass alle Welt dereinst erfahre  
Du seist der Alten Stab, der Kranken ihre Lust.

Hiermit empfiehlt sich dem Herrn Doctor  
rando zum geneigten Andenken ein  
ergebenster Freund und Diener

I. C. Nasse,  
aus Bielefeld,  
Medic. Candid. Opponens,



200 A 6272

f



TA-OL

Retro ✓





DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVG<sup>V</sup>R<sup>L</sup>IS MEDICA  
DE  
**BVLIMIA**  
SEV  
**NIMIA CIBORVM**  
ADPETENTIA,  
—  
QVAM  
SVB AVSPICII SVMMI NVMINIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAESIDE  
DOMINO  
**D. ANDREA ELIA BUCHNERO**  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILII INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
ET COMITE PALAT. CAESAREO,  
FACVLT. MED. H. T. DECANO SPECTATISSIMO,  
**PRO GRADV DOCTORIS**  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS  
AD D. APRIL. A. S. R. MDCCXLVII.  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
**MARTINVS CHRISTIANVS NIEFELD**  
NAVENSIS MESO - MARCH.  
—  
HALAE MAGDEBURGICAE,  
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.